FRANCISCI

ROBORTELLI

VTINENSIS,

ORATIO IN FVNERE

IMP. CAROLI V. AVGVSTI,

In Ampliss. Hispanorum Collegio
Bononiæ habita.

CVM INDICE, ET GLOSSVLIS ORDINEM
totius Orationis indicantibus iterum impressa.



BONONIAE,

Ex Typographia Alexandri Benacii, & Ioannis
Rubei sociorum. 1559.



PHILIPPO IMP. CAROLI V. F. HISP. REGI INVICTO CATHOLICO MAXIMO.

ORATIONEM HANC DAT, DICATQ.
Albornotianum Hiſpanorum Collegium Bononienſe,

Vt ſingularis ſuæ erga eius Maieſtatem extet pietatis monimentum.
Bononiæ.

M D LIX.

FORTVNATISSIMO; CLEMENTISS.

INVICTO, AC PIO SEMPER

AVGVSTO

IMP. CAROLO V. HISPANIARVM

REGI, TRIVMPHATORI

MAXIMO.

COLLEGIVM HISPANORVM

BONON.

MAIESTATI EIVS DEVOTVM

P.

M D LIX.

IMPERATOR CAROLVS V. QVI
Vix. An. LVII. Mens. VII. Dies XXI.
Imperium Rom. administrauit
an. XXXVIII.
Regnauit in Hispania, Sicilia, & Sardinia
an. XLIIII.
An. XII post Philippi Regis patris obitum. IIII.
autem an. postquam regnare cœpit in Hispania,
Cæsar a Germanis appellatus est.
An. XI. post diademate a Clemente VII. Pont.
Max. Bononiæ insignitus, & Imp.
dictus est.
An. I. Men. VII. antequam e uita exiret, Imperio, regnisq; omnibus, ac potestate se abdicauit, iusq;
omne regendi Hispaniam, & alias prouincias
Philippo filio, quem unicum habuit, XXX.
annum agenti dedit. fratri autem Cæsari Ferdinando Imperium Romanum, consentientibus
Electoribus, permisit.

A



TINAM Viri Hispani, pro mea summa erga Imp. Carolum, uniuersamq; Austriam domum, obseruãtia, atq; incredibili desiderio, quo ardeo, illius laudes uestro iussu pro concione õnibus his, qui adsunt, recensendi; ac quales, quamq; uerae sint probandi; quantam & ego intelligo mihi temporis causa esse opus, & res ipsa requirit, tantam mihi copiam, & facultatem dicendi natura esset largita; sperarem enim talem me hodie de re proposita habiturum orationem, quę uobis omnibus satisfaceret. Ac sicuti ab initio neq; hortari uos me, aut orare sum passus, quòd eram sponte mea propensus ad praestantissimi huius Imp. memoriam recolendam, & uirtutes, quarum per tot annos fama apud nos percrebuit, celebrandas; atq; operam meam, ac diligentiam uobis amanter in ea re detuli; sic nunc uestrae non modò de me conceptae opinioni (nimium enim uos honorificè de me semper sentire animaduerti) sed nullius prorsus dubitationi locum reliquissem, ne par tanto oneri sustinendo esse possem. Nolui autem committere, ut cuius coniugem Isabellam Augustam mortuam ante multos annos ex decreto Lucensium publicè in eorum urbe, & quem uiuentem adhuc saepe laudaui, eundem non laudarem mortuũ, & ut uos, quos mihi amicissimos esse cognosco, quibusque ego plurimùm pro multis, ac maximis in me officijs debeo, frustra me rogaretis. Quid. n. posthac aut ego pro eo quanti semper feci summum Imp. quòd nomen illius apud omnes magna ob excellentem praestantiam semper fuit gloria, efficerem? aut uos a mé ꝓ uestris in me meritis posthac expectaretis, si in optimi uestri regis, ac Imp. rebus gestis explicandis uobis operam non nauassem meam? An persuadere uobis conarer, cum isto in uestro Collegio quotidie me de uarijs rebus differentem audire soliti sitis, non tantam esse in me uim dicendi, aut exercitationem, ut de Imp. Caroli Regis uestri eximia uirtute, ac singulari praestantia aliquid in medium afferre possem? Vobis sané, quorum causa sine ulla exceptione & loci, & temporis omnia efficere debeo, in uestro tanto dolore, ac luctu deesse nolui. sed sic habetote V. H. ex omnibus ijs, aut quae ad dicendum olim ueteribus in hoc genere exercitatis proponi solebant, aut etiam quae nostrae aetatis eloquentissimis uiris proponi solent, nihil maius, nihil difficilius fuisse unquam, aut nunc etiam esse, aut excogitari posse, quàm Caroli V. Imp. omnium, quotquot fuerunt, fortissimi, ac sapientissimi res gestas non dicam persequi, & si id quoq; est infinitum, sed quàm laudabiles, quamq; praestantes sint, quod

longe

longe' maius est, argumentando ostendere .· Si enim enarrandæ tantū essent, non etiam exornandæ, iudicio legētium reliqua permitti possent; nunc uerò cum non omnes narrandæ (uobis enim magna ex parte notissimæ sunt) sed ipsarum dignitas, & magnitudo oratione demonstranda sit; næ ego stultus sim, si sperem me, cùm tot, tantæq; sint, eās tàm breui temporis spacio explicare posse. Maxime' equidem uellem V. H. postquam in caritate, & pietate erga Cæsarem nulli estis secundi, cumq; uos in primis semper coluistis, non modò uti Regem optimum, sed etiam uti parentem, & dignitatis uestræ amplificatorem, tum uestra causa, nulli enim plus tribuebat, quàm ijs, qui in celeberrimo hoc Collegio educati, & instituti fuissent; nulliusq; opera, aut consilio libentius in prouincijs regendis, ac legibus sanciendis utebatur; tùm etiam mea, nam semper tanti Imp. numini, maiestatiq; deditus fui, aliquid dignum admirabilitate cœlestis huius, ac diuini uiri proferre. Sed nimirûm omnia undiq; multis sunt obstructa difficultatibus. Rerum enim, quæ mihi propositæ sunt ad dicendum, tanta est non solùm multitudo & magnitudo, sed etiam uarietas, ut primum diffidam me, agnosco enim ingenij mei mediocritatem, & si non inficior me multum, diuq; in hoc genere dicendi uersatum, posse consequi; deinde nullum esse putem, quamuis multi me superiores sint in dicendo, qui summi huius Imp. maximas, clarissimasq. uirtutes, plurima, atq; illustria facta exornare quàmlibet splendida, & graui oratione possit. Plura uno die, cum quadraginta totos annos imperarit Cæsar Carolus gessit, quàm quiuis, etiam si ualde nauus, & industrius fuerit, uno mense scribere queat. Quòd si nunc alicuius ex ijs Ducibus, qui ipsius auspicio bella gesserunt, res gestas recensere, ac dicendo persequi uelim, contremiscerem tamen animo, ac diffiderem me tam magnū onus sustinere posse. Iam uerò cum illius uitæ ratio sit explicanda omnis, & facta enarranda, qui suo ductu, & auspicio quàmplurima bella confecit, alijsq; gerenda multa diuersis in locis eodem tempore mandauit, cuius prudentia tanta fuit, & æquitas, tùm in temperandis, tùm etiam in cōstituendis ciuitatibus, ut hodie non solum multæ prouinciæ nostri orbis, sed alter etiam orbis stet Caroli institutis, ac legibus seruandis; tanta fuit uirtus, ut & omnium uicerit opinionem, & superiorum Impp. gloriam superarit; qui ueterem militandi disciplinam pene' dimissam reuocauit; tam perturbato necesse est sim animo, ut unde initium dicēdi sumam, quemùe exitum quæram non satis sciam. quid enim Imperator tam potens, summo ingenio, maximo studio, tam multis annis conficere non potuit? quid omisit? uel quando potius aliquid gerere intermisit? Vultis igitur V. H. si mea me pietas erga Cæsarem non satis tueri possit,
quòd

quòd colere aliud eſt,quàm laudare, atq; etiam ſi non laudaueris, colere poſsis,ut,quod unum reliquum eſt,in ueſtra auctoritate deliteſcam ? Faciam equidem non tàm libens,quàm coactus. Illud tantum uos oro, ut ne ipſam defugiatis,& me, quẽm ad dicendum ueſtri amor, & ſumma pietas,atq; obſeruantia erga Auſtriam familiam,incredibilis item admiratio plurimarum,ac maximarum uirtutum ipſius Imp. Caroli impulit, ſtudijs ueſtris ita proſequamini ; atq;,ne homines non potius audacem fuiſſe credant,quàm cupidum uobis, quos multis de cauſis plurimi,ſicuti debeo,facio,obſequendi,teſtimonio ueſtro ita ſubleuetis, ut etiam ſi ſuccubuero, & in medio orationis curſu concidero, magnitudine oneris, quod rogatu ueſtro,non ulla temeritate ſuſtuli,oppreſſum me intelligăt. Conturbat me quidem etiam multum expectatio eorum,q adſunt,quoſq; frequentes conueniſſe uideo, ſemper enim lectisſimorum uirorum iudicium plurimi feci ; cumq; ijs placere uelim, ſi poſſim,nihil tam aduerſarium mihi hoc tempore eſſe cognoſco, quàm ipſorum opinio. Audierunt,credo, me ſæpe publicè uacuo animo, & magno ſtudio de arte dicendi differentem ; Sed,proh Dij immortales, Cæſaris Caroli inuicti uirtus,innumerabileſq; res geſtæ omnem artem longè ſuperant.alij,qui laudarunt ſuos, multa ſæpe fingendo, ut ingenio abundare uiderentur, uberem orationem fecerunt ſuam, ego ſiquid prætermiſero ex ijs, quæ omnes ab Imp. Carolo facta ſciunt,uerendum eſt,ne non omnia perſequendo inops uerborum aut etiam parum diligens,& ſincerus uidear,illi ut optimi,quales non fuerunt, crederentur,ars effecit ; Carolus ut talis exprimatur,qualis fuit,uix quiſquam natura, aut arte conſequi poſſit. Sed quia non laborabo,quàm ualde ea, quæ dicturus ſum, probare poſſim,non enim ficta dicam, ſed facta ; neq; ignota,ſed notisſima ; ſæpeq, aut ueſtram implorabo memoriam ac fidem, & quæram ex uobis, uideantur ne à me ſatis expreſſa, quæ ab Imp. Carolo geri & ipſi uidiſtis,& audiſtis ex ijs, qui affuerunt, aut etiam ueniam petere cogar ; non tam ſuſtinere onus, quam opprimi, & ſuccumbere glorioſum putabo. Neq; enim tàm ſpe huius laudis parandæ adductus ad dicendum ueni,ſi Imp. Caroli V uirtutem omnem aptè expreſſero,& res omnes ab eo geſtas tùm narrauero,tùm etiam quales,quantæq; ſint dicendo ut homines intelligant effecero, quàm omni metu uacuus, ne quis me ſi minus id efficere potuero, iure reprehendar. CVM IMP. CAROLI uitam omnem contemplor,mecumq; repeto, quàm multa fortiter, temperatè, ac prudenter domi, foriſq; geſſerit ; quàm multos ſua clemẽtia ſeruarit ; quàm multis regna reſtituerit;quàm etiam multis præmia dederit ; quoties uictor è prælio diſceſſerit ; quàm ſæpe magnis opibus religionem,

&

& antiquos patrum ritus, atq; instituta retinere; prauamq; ex hominũ animis opinionem euellere, ac, quod summum est. S. R. E. dignitatem, atq; maiestatem tueri conatus fuerit; quantumq; ei semper in omni re fortuna aspirarit, & quantis à natura bonis instructus fuerit; quanta demum cum laude tàm multos annos tàm diuersis nationibus imperarit; regnaq; tàm uaria, nouum etiam orbem, à nobis tàm procul longissimo maris tractu seiunctum administrarit, optimisq; ac sanctissimis legibus eos homines ad pietatem, & cultum DEI, atq; omnem ciuilem uitam, à qua longe aberant, instituerit; quàm multas prouincias pacatas reddiderit; quàm multis libertatem restituerit; quàm multarum ciuitatum mala, quæ ex diuturnis seditionibus erant innecta, sustulerit, earumq; statũ in melius mutarit; quàm magna fide, sinceroq; animo omnia egerit, planè in eam uenio sententiam ipsum non modò beatum, sed etiam quàm beatissimum dici posse. Socrates uir sapientissimus, cum ex eo quærerent nonnulli. Rex ne Persarum magnus beatus esset; respondit, an ego statuere de eo possum, aut scire, cum ignorem, quàm sit bonus, neq; cum eo unquàm sim collocutus: Vos uos ego V. H. testes appello, uos iudices cõstituo, uos arbitros omnium, quæ dicturus sum, esse cupio. Vos Cæsarem præsentem estis intuiti, uos Cæsarem sæpe audistis loquẽtem; sæpe uidistis incedentem, sedentem, stantem, pugnantem etiam, & milites hortantem, atq; incendentem ad prœlium. Dicite igitur, dicite, an beatum Carolum Cæsarem iudicatis fuisse? an ullum eo beatiorem? Viuentem adhuc beatum dicere quis non esset ausus; cum orationem moribus, orationi facta esse similia, factis uitam omnem illius respondere cerneret; quem fortitudo uindicabat à metu, temperantia auocabat à libidine, qui contra fortunam satis semper armatus, ac paratus esset. qui omnia splendide, constanter, grauiter, & honestẽ; nihilq;, quod pœnitere posset, fecit, hunc ego non modò fortunatum, sed etiam beatum non appellem? Ex hoc fonte nostra omnis hodie manabit oratio; suis igitur, ac propriis argumentis res est tractanda: dictis, factisq; ipsius omnis felicitas est demõstrãda, nullum enim indicium clarius, nullum maius, aut certius argumentum. Neq; uerò e x singulis dictis, aut factis tantũm est spectandus Cæsar, sed ex stabili quadam perpetuitate, & constantia; semper enim loqui solitus, quæ sunt magni, & alti animi; semper ea agere, quæ à uera uirtute proficisci scimus. Beatum cum dixi Carolum, V. H. ne quis credat me hominis uitam recensere uelle uoluptariam, ac omni genere delitiarum circumfluentem; sed laboriosam, ac duram, plenamq; sudoris. Xerxen illum audistis, credo, Persarum regem, cũ esset omnibus fortunæ donis refertus, præmium proposuisse ei, qui nouum

Propositio totius orationis.

uum aliquod uoluptatis genus inueniſſet. quid ? ea inuenta contentum fuiſſe putatis ? imò ſubinde aliam quærebat; tanta enim illius erat libido, ut nunquam expleri poſſet, quantoq; affluentius uoluptates hauriebat, tantò ardentius ſitiebat. Imp. Caroli animus pacatus erat, ac quietus. quare nihil concupiſcere, nulla mollitia fluere, nihil appetere, nulla nimia lætitia efferri, nihil abiectè, nihil timidè unquam agere ſolitus. in ipſo fortiter, honeſteq; uiuere erat ſitum, neq; enim opinione tantùm uirtutem erat complexus, ſed ita inſtitutus, ut cum quid ſummum Principem deceret, non ignoraret, poſſet etiam, & uellet, imò neq. aliter uelle poſſet, quàm uolebat, neq; aliter uellet poſſe, quàm poterat, etiam ſi ipſi optio fuiſſet data, agere. O' admirabilem Caroli uirtutem, ò prædicandā conſtantiam. Dionyſium Siciliæ regem in magna rerum omnium abundantia temperantem in uictu, atq; in urbium adminiſtratione uigilātem, ac in populis regendis, in officioq. & fide retinendis induſtrium fuiſſe accepimus, ſed natura adeò maleficum, & iniuſtum, ut non ad hominum ſalutem, ſed pernitiem natus uideretur. tutus igitur erat ille ab inſidiis ſuorum, qui in ditione ipſius erant, & imperio, ſua uigilantia; at tuti non erant ab eius immanitate ij, quib. ipſe præerat. uigilabat, non ut ſuos ſeruaret, ſed ut deterritos ac perculſos metu, inopesq; conſilij facilius perderet. Quid ego uobis Tiberij Cæſaris inconſtantem uitam, diuerſosq;, ac diſsimiles adeò referam mores ? ut non una in eo eſſet, & ſimplex natura; non una mens, ſed duplex, ac diſsimilis; altera, quæ ipſum ad mala impelleret; altera, quæ eūdem ad uirtutem, & gloriam incitaret. Fuit in illius uita aliquid prædicabile; at in Carolo V. nihil non laudabile, nihil non honorificum. omnia non modò honeſte, & grauiter, ſed etiam ſemper, in omniq. uita, & ubiq. egit. Habebat enim Imperator hic ſummus excellentem, ac prorſus diuinam mentis præſtantiam, in qua mirabilis erat illa rationis uis, uirtutumq; omnium, quæ cum in eo connexæ fuiſſent, mores, & ipſius actiones diſsidere non patiebantur, efficiebantque ut honeſtatis ſemper ſtudioſiſsimus eſſet, atque appetentiſsimus. Si animorum imagines, ut corporum, oculis cerni poſſent, ſicuti ex uitijs turpitudo, ac deformitas, quæ magnam habet uim ad abalienādos à ſe animos, ſic ex uirtutibus cognoſceretis exoriri honeſtum quoddam, quod miris quibuſdam modis hominū ad ſe allicit mentes; ſed quid ego dixi, non cerni ? Imò uerò. V. H. nihil euidentius, nihil clarius cernitur uirtute ipſa. Simulacra quædam uirtutum boni, ac ſapientes uiri ſunt, quos intuemur, quibus cum colloquimur; illa uirtutū facies eſt. impiger erat, acer, & induſtrius Imp. Carolus; inceſſus, motuſq. corporis, atq. actio omnis, & ſtatus naturæ cōgruens in eo apparebant. cumq;

illius uita ſemper fuerit omnibus animi, corporiſq; uirtutibus expleta, atque ijs uirtutib. quæ maximæ ſunt ſecundum regis optimi & Imp. præſtantisſimi naturam, mirari nullus iam debet, quomodo potuerit ſuperiores omnes gloria, & rebus geſtis ſuperare. Agricolæ, mercatores, ſerui, priuati homines, ſenatores, tetrarchæ, ſi laudem parare ſtudent, ſecundũ naturam quiſq. ſuam uiuat oportet. Quid Principem ſummum, Regem maximum, Imp. potentisſimum? habet & is modulum uitæ, ac naturæ ſuæ, ſecundum quem uiuat. conſtat autem ſummis, maximiſq; uirtutibus tu'm animi, tu'm corporis. Vt erat promptus animo ad res gerendas Carolus, ſic corpore, manuq; promptus erat. in conſultando, & decernendo prudens, non minus in exequendo fortis, & conſtans. ut prætermittere uoluptates omnes, quibus animus liqueſcit, ſic laborem ſequi, quo animus, corpuſq; ſimul corroboratur facile poterat. ut delectũ habere bonorum, & malorum didicerat, ſuũq; unicuiq. tribuere, ſic malos odiſſe, bonos complecti, lites omnes tollere ſolebat. Semper in eo intus excubabãt uirtutes, quarum cuiuſq. cu'm ſit propriũ munus, actuoſam illius ſingulæ efficiebant naturam. ſemper foras ſpectabat aliquid liberalitas, ſemper clementia ueluti ex alto proſpiciebat, ſemper fortitudo explorabat circumſpiciendo, in quo uires exercere ſuas poſſet. extrinſecus erant, quę miniſtrare poſſent, corporis uires, integri, incorruptiq; ſenſus, uelocitas, bona ualetudo; quibus ſuppetebat argẽti & auri infinitum pondus, rerumq; omnium abundantia, ita quæcunque illæ intus excubantes foras ſpectaſſent, hæ imperata facientes, & nutum ipſarum obſeruantes, ſtatim omnia conficiebant. I nunc tu, & confer cum Imp. Carolo quamlibet potẽtes deſides tamen, & ignauos, uoluptatibuſq; ſemper deditos reges, qui uirtutis & honeſtatis non modò appetentes fuerũt, ſed ne ipſius quidam unquam uel exiguum aſpexerunt lumen; Illi dum uiuerent, mollitie fluebant; at hic labore animum, & corpus confirmabat; Illis obuerſabantur animo ſpecies fœdisſimæ; at huius menti ſemper inſidebat imago honeſti. Illi uoluptatum ſtudioſisſimi; at hic honeſtatis appetentisſimus. Illorum omnis animi impetus ad luxum; at Imp. Caroli omnis curſus, & impetus ad laudem ferebatur. Illi in aulæis pictis, aureo ſtrato, textilibus ſtragulis, magnificis operibus, argento, & auro cœlato uitam beatam ſitam putabant; at noſter hic talem uitam uel deguſtare ſummum probrum cenſuit. Sed quid ego cum his quamuis potentisſimi fuerint, confero Cæſarem noſtrum? unum mehercle diem Caroli V. multorum, & clarorum uirorum totis ætatibus anteponere poſſumus. cuius inuicta uirtus, ſingularis clementia, ſumma prudentia, quando unquàm deſtitit aliquod ſuæ excellentis ſpecimen dare præſtan-

tiæ

tiæ? Dies deficiet me, si uoluero omnia persequi; sed ita temperabo orationem meam, ut cum omnia dici à me non possint; & cum pauca dixero, plurima præteriero, satis multa tamen me dixisse intelligatis. Fingite paulisper animis, nihil enim iucundius esse potest, ac putate uos oculis cernere. pulcherrimarum ueluti uirginum, chorus uirtutum intus est, in Cæsarisq; animo residet pietas, comitas, liberalitas, benignitas, fortitudo, iustitia, clementia. Conspiratio mutua, consensusq; est quidam omnium harum. rationis hæ, hoc est, Cæsaris ipsius parent imperio. cernitis ne, ut modo hæc, modò illa, modò plures, modò omnes, ueluti administræ, in officio sunt, semperq; aliquid agunt, quod laudabile, & honestum sit, hæ semper cohærent, & sibi adiumento sunt; Iustitia exequi suum munus sæpè non posset, si comes illi non asßistat fortitudo, itidem pietas, & clementia. regina ueluti quædam inter has est ratio. Hæ sic coniunctæ semper cum Cæsare excubabant in castris, in urbibus illi asßidebant; in consilio, & foro aderant, nunquam ab illo discedebant. cum illo cœnabant, lauabantur, prandebant, peregrinabantur, iudicabant, leges sanciebant, participes erant consiliorum, sermonumq; omnium. O' pulcherrimum comitatum, ô chorum diuinum. Fuisse dixi cum Cæsare? ne mortuus quidem sine his est. sed quid mortuum dixi? uiuit Cæsar Carolus, uiuetq; seculis innumerabilibus, in cœlo enim uitam degit, quæ uerè uita est, uoluptateq; fruitur maxima, ac perpetua. atque nos intuetur ex alto, dum illius celebramus memoriam non luctu, non lachrimis. quis enim lugeat talem, ac tantum regem? sed laudibus & debita prædicatione. Accidit illi aliquid mali? at beatus est. extinctus excessit è uita? at uiuit, uigetque nunquàm interiturus. uerum caremus optimo Rege. at nobis filium reliquit. Qualem Dij boni? similem sui; fortem in laboribus pro communi salute tolerandis, constantem in periculis suscipiendis uirtutis causa, prudentem in deligendis bonis, iustum in tribuendo cuiq. quod suum est, uigilantem, acrem, industrium, gloriæ, & honestatis studiosissimum; nullius rei, præterquàm laudis appetentem, liberalem, clementem, pium, & inuictum, cuius consilio, & prudentia Italia, & Germania magna ex parte, Hispania, Sardinia, Sicilia, Britannia, orbis hic noster, alter etiam nouus nititur. Vtinam uerò sicuti Carolus beatus est, æuoque fruitur sempiterno, ita nos propitius foueat, ac tueatur, Deoque opt. Max. cum charus sit, nos nostraq; omnia, aras, templa, urbes, portus, coniuges, liberos commendet, ab eoq; nobis omnibus, ac Regi filio, & nepoti Carolo puero incolumitatem impetret. Impetrabit, mihi credite, ut enim propter pietatem, religionem, ac iustitiam charissimus Deo semper uixit. ita hoc

 tempore

tempore post mortem ab eo Imp. Carolum diligi credendum est, illudq. certissimum esse indicium uobis potest, quòd Regi uestro secunda adhuc omnia euenerunt, nihilq. illi ad summam gloriam, & felicitatem deest. Si cui uideor alta, & diuina loqui, ueniam det, oro; de Cæsare enim loquor, qui dignitate proximus in terris accedit ad Deum; de Carolo V. loquor, qui unus ex omni memoria fortissimus, optimusq. iure censendus est. non potest sermo, si de tali, ac tanto Imp. & Rege habeatur, humilis esse; insurgit altius semper mea mens, & erigit se animus, auocatq. longe ab infimis, quò longius de summis uirtutibus Augustissimi Imp. oratio instituta prouehitur. nihil non modò humile, sed ne mortale quidem quicquam, aut caducum in cogitationem cadit. omnia magna, omnia diuina, omnia cœlestia sunt, quæ mente concipio. Vtinam uerba non deessent, quibus pro dignitate singulæ res explicari possent. desunt, desunt quidem; nec miror; quæ enim tanta copia in ullo est, quæ tanta uis, quæ tâm magna dicendi facultas, ut possit non quidem extollere, & illustrare narrando, sed neque exprimere satis inuictam uirtutem, diuinum ingenium, cœlestem mentem, summam Caroli V. pietatem, clementiam, fortitudinem, temperantiam, benignitatem, Triumphatoris, Maximi, Pij, Felicis, Imp. ac Regis, seruatoris, parentis, & tutoris tot nationum, tot ciuitatum, tot populorum. CAroli V. animus, nec enim de omnibus regibus, ac principibus id dici debet, propius ex mente diuina decerptus fuisse uidetur. erat igitur sine metu, sine spe, sine libidine, sine alacritate. in eo semper placidissima pax, nulla non modò uehemens, sed ne parua quidem concitatio. Quare non ad omnem solum uirtutem percipiendam aptus, sed etiam à Deo Opt. Max. ita fictus, & factus, ut esset in terris unus, miserrimis temporibus, qui afflicto orbi succurrere, & mortalium malis mederi posset; hoc est, immanissimi hostis impetus reprimere, seditiones tollere, uitia euellere, mores corrigere, improbos exterminare. id quod factum est; Veniat uobis in mentem, quale acceperit imperium; cogitare rursus, quale reliquerit, quàm amplum, quàm augustum, quàm minime perturbatum. Quòd si cui uidentur res magno casu reuolutæ; is cogitet quæ so tantarum rerum cardinem minore cum strepitu uerti non potuisse.
Aut igitur Imp. Carolus V. beatissimus omnium unus, quotquot fuerunt, est existimandus; aut nemo alius hoc nomine dignus existimari debet, sed quia hoc nomen beati longè, lateq. patet; multisq. partibus constat; si semper res essent secundæ, nullus locus fortitudini, nullus constantiæ Cæsaris relictus esset. Meminisse uos oportet uitam hanc, quam degimus, incommodorum, ac miseriarum plenam esse, atque in ea tanquàm

quam in medio mari semper aliquam impendere procellam, quam subterfugere uix quisquam possit. Verùm ut homines uulgò quæstuosam mercaturam, non si semper omni damno careat, uocant; sed si multò maius extet lucrum, præ quo uix illud damnum dici possit, & fructuosam messem, non quæ tempestatis, & turbinum calamitate omnis uacet; sed si maiore ex parte respondeat uotis agricolæ, sic ego hodie uobis offero spectandam Cæsaris felicitatem, non quæ aliquando interrupta non fuerit aliquo malo, quod, & si magnum fuit, non tamen ita graue, ut eum posset opprimere, neque eius animi magnitudine sustineri. Imperatorem ego uobis fortem, constantem contra omnes fortunæ impetus paratum, suo stantem iudicio propono. sed ita statuatis uelim, uirtutes sine beata uita cohærere non posse, nec beatam uitam siue uirtutibus, è quarum numero cum sint animi magnitudo, fortitudo, constantia, & patientia; quid illæ habuissent, in quo munus suum explerent; si nihil aduersum, nihil incommodum Cæsari accidisset. Quid igitur? ille non beatus? imò beatissimus, in quo nulla uirtus unquam ociosa esse potuit, & eæ præsertim, quæ hominibus aduersus fortunam præsidio sunt. Fingite animo aliquē esse, cui nihil aduersi unquam accidat, hic non erit fortis, hic non erit constans. quàm magna hic laude priuatur uidetis. Quid? si cui uestrum detur optio, ut nullis uexetur malis; utrum malitis constantiæ laude sine periculo carere; an fortes cum periculo dici, & patientes laborum? sed quid ego labores dixi? laborem non sentiunt uiri fortes. cum se semel ad firmitatem intenderat Cæsar, facilè ferebat laborem omnem, atque incredibili alacritate, & impetu uelut magnitudini oneris resistebat, neque ab eo se opprimi patiebatur. sed ipse se suscitabat, & pressum omnem molestiæ intentione animi depellebat. Veniat uobis in mentem V. H. Hercules, aut Theseus; si seolim illi abiecissent, neque animum spe gloriæ, quæ illorum menti assidue obuersabatur, in periculis confirmassent suum, aut oppressi iacuissent, & exanimati; aut sese in fugam dedissent, nec illorum ad nos fama peruenisset. Herculis columnas, quarum alteram ille heros olim suorum laborum metam in extrema Hispania, alteram in Mauritania ad Oceani littus uiuens collocarat, ut ab omnibus tanquàm suæ uirtutis monimentum spectari possent, iam inde à pueritia non audierat tantùm, sed etiam uiderat aui sui, quasi noui Herculis, auspicio quàm plurimos transisse. Huius uirtutem cum semper ante oculos positam imitari studeret; ita sese instruxit, & contra omnem fortunæ impetum armauit, ut nullo neque labore frangi, neque ullius magnitudine periculi deterreri unquàm potuerit;

Beatus Carolus V. etiam in rebus aduersis.

& cum

&cum magna contentione animi se aduersus omnem molestiam erigeret, quasi laborem non sensisset, lætus, ac uictor triumphans ad suos redibat; non quidem insolenti alacritate gestiens, sed moderato gaudio exultans. Quantam enim, postquàm in omnibus rebus aduersis contentionem adhibuerat, uoluptatem ex eo capere solitum putatis, quód nihil abiectè, nihil timide egisset? secum ipse loquebatur: seipsum confirmabat; nullius egebat hortatione, aut consolatione; ipse se solus sermone intimo solabatur. Ante uiginti annos florens ætate Isabellam Augustam coniugem, quæ multos annos cum eo coniunctissima uoluntate uixerat, alieno tempore amisit, cum ipse abesset, & grauissimo bello gerendo ad Massiliam esset occupatus. In castris tunc erat; compressit lacrymas, magnaq. ui dolori restitit. sentiebant milites ipsum dolere; sed ne semel quidem in tanto dolore ingemuisse taciti admirabantur. idem uultus, idem ardor ad pugnam; nullus eiulatus, nulla querela. ipse enim sibi imperabat, & sicuti galea, clypeo, thorace, alijsq. armis aduersus hostes uti sciebat; ita & arma aduersus fortunæ impetum sumere didicerat, rationem, alacritatem, sermonem intimum, atque animi confirmationem, quibus siqui non fuerint armati, quàmuis maximis equitum, & peditum copijs cincti fuerint, concidunt sæpe, & afflicti iacent. Non exhorrescit fortuna enses, nec deterrentur curæ militum hastis, per medium irruit illa armatorum aciem, & hæ intimam animi arcem inuadunt. uerum quibus armis repelli posset multò ante Imp. Carolus didicerat. non modò igitur lacrymas tenuit; sed paulisper commotus, ut in subito uulnere fit, tollite, inquit, aquilas commilitones, & eamus in hostem, triste ut omen in illos uertatur omne; Augustæ postea mortuæ meritos honores habebimus. Pari animi magnitudine fortunæ restitit in Africa, cum tempestate, & ui uentorum ad littus impulsæ naues onerariæ, & triremes, aliæ fractæ, aliæ à fluctibus in altum reiectæ summersæ sunt, ò qui fragor remorum, & antemnarum. ò quantus hominum clamor, & gemitus. ò quæ militum strages. Aut in hostes, si emerserant, incidere erat necesse stantes in littore, aut undis iactari. quid? enatarent? ut ab immanissimo, & irato hoste ne caperentur quidem, sed trucidarentur? mergerentur aquis? durum. at multò tolerabilius, quando ne hoc quidem illis erat relictum, ut gloriosè in acie caderent; si enim in terra pedem posuissent, statim uidebant sibi esse pereundum. arma propter uim frigoris tenere non poterant. tenere? abiecerant potius, ut facilius enatare possent; qua spe sublata, quali tandem animo eos fuisse putaris? Cæsar interim cum suis, imbribus maximis, & assiduis, perfrigidaq. tempestate afflictus pedem uix ponere ullo loco, aut uestigium poterat. Vallæ circùm erant

Fortitudo, et cōstātia Imp. Caroli V.

Mors Isabellæ Augustæ cōiugis Imp. Car.

Bellum Massiliense.

Bellum Algerianum.

erant solitudines, quæ ipsis uictoribus lætis ob uictoriam omnem uoluptatem auferre possent; ne dum conflictatis, & siti, fameq; enectis spem ullam salutis facere. Cum in locum tutum ab hoste esset peruentum, stans Carolus in aggere leniter fastigiato sola milites, non modò ægritudinem longius manere passus est, sed etiam funditus sustulit. finem dicendi fecit mira quædam alacritas militũ, & acclamatio lætitiæ plena; equos, iumentaq; omnia perimi cum iussisset, ut eo cibo famem depellere milites possent, ipse suum primus equum confodit, cui insidere solitus erat. Triduo post tàm magna serenitas cœli, & tranquillitas maris est consecuta, ut nulla unquam maior uisa fuerit. O' incredibilem animi magnitudinem. O' uirtutem Cæsaris admirandam, qua perfectum est, ut sui in uita manerent, & incolumes in Hispaniam unà secum, aut quò magis ipsis libuerat, peruenirent. Confectum eo die fuisset bellum, & tota Africa pulsi piratæ, qui à Gadibus usque ad Siciliam mare infestum latrociniis reddunt. Dicam hoc loco V H. quod in mentibus uestris penitus insidere uelim, efficiet enim, ut intelligatis uerissima esse, quæ à me dicta fuerint, & fateamini unum hunc post hominum memoriam beatissimum fuisse. Nihil tàm in omni uita Cæsari fuit propositum, quàm ut aliquando in immanissimorum Christiani nominis hostium urbes inuaderet, & Turcarum Regem communis utilitatis causa regno spoliaret. Quis enim non audiuit eius duces cum classe spe prædandi, & rapiendi passim circa Italiæ, Siciliæ, & Hispaniæ littora uolitare, & puerorum ingenuorum, ac uirginum greges in Asiam abripere, ut scilicet apud aliquem Phrygem, ac Mysum in seruitute sint, atque ut sua ergastula nostris colonis compleant ex omnibus Apuliæ, & Calabriæ uicis miseros abducere unà cum liberis, ac coniugibus. Imperatoris enim hoc esse proprium semper existimauit, cui unà cum imperio sit Christianorum omnium salùs concredita, pro fortunis, & capite, pro libertate, & dignitate ipsorum depugnare. Ita mihi liceat uobiscum pace frui, & ocio, ut non difficile fuit Imperatori Carolo, si ab hoc bello gerendo aliis negotiis non fuisset auocatus, Turcarum regem impellere, & perculsum perdere, ac prosternere. Remouere quidem ille semper omnia studuit, quæ obstabant, nec aliud in omni uita egit. urgebant hinc ex Africa uenientes piratæ. illinc Turcarum Rex cum magnis peditum, atque equitum copiis in Pannoniam inuadens, ipsam etiam Viennam auitum domicilium, ac sedem imperii suorum maiorum oppugnare magna ui ausus est. Quid interim Carolus? cum inuicto exercitu, quem ex Hispanis, & Germanis militibus confecerat, accersitis etiam ex Italia ueteranis cohortibus, immaniss. hosti ex Germania ueniens sese opposuit, prœlioq; decertare fuit paratus. sed robur

Propositum in omni uita Imp. Car.

Bellum Viennense.

bur ueteranorum militum cum in exercitu Cæsaris magnum esse ille intelligeret, detrectauit pugnam, cumq. res suas pene in extremum discrimen adductas uideret, clàm noctu relictis castris recessit, uel aufugit potius. Ex eo nouas res moliri cæpit Solymanus; cumq. semen, & causam bellorum sciret inter Christianos reges, ac principes non deesse, subsidio se uenturum ijs, qui cum Imp. Carolo pugnare uelle uidebantur, pollicitus, spem illis ostendebat Cæsarem posse aliquando uinci. Interim ille cum exercitu magno in Pannoniam sæpe ueniens, urbesq. munitissimas, ac castella ui expugnans tantùm non sibi aditum etiam in Italiam, & Germaniam patefecit. Ac nisi tàm magna pestis fuisset ab Imp. Caroli fratre Cæsare Ferdinando depulsa, atque opportunis locis constitutæ arces, intra quas, ueluti intra claustra, & repagula Imperii fines continerentur, deletum pene iam esset magna ex parte Christianorum nomen. Vnum hoc genus impedimenti fuit; quare omnia faciebat Carolus, ut sibi Christianorum principum animos conciliaret comitate, beneficentia, benignitate, clementia, affinitate etiam mehercle, quæ plerunq. facit, ut concordissimè inter se homines, qui abalienato ante erant animo, uiuant; quibus cum nihil se proficere posse animaduerteret, armis lacessitus bello rem experiri cæpit; sæpe enim ex bello pax oritur, & graue odium ad pacem conuertitur, id quod contigit. sed atrox nescio quo malo fato rursus est concitatum bellum. Ita aliud ex alio Imp. Carolum impediebat, quo minus arma in Solymani exitium, & Turcarum stragem conuerteret. O' quoties uota fecimus. ò quam sæpe Deo Optimo Maximo supplicauimus, ut pax inter Carolum, & alios Christianos Principes facta fieret diuturna, uel potius perpetua. Perspicere licebat unicuiq.; neque enim clàm, sed aperte, & palàm dictitabat, nihil se magis cupere, quàm crudelissimi tyranni uiolentas opes frangere, & urbes, quæ in illius essent imperio, euertere; hac una ferebatur laude; huius unius ardebat triumphi cupiditate. Quid enim ex cladibus nostris optimus, ac clementiss. Imperator ex Christianis bello afflictis triumpharet? & quibus salutem dare debebat, illis ut esset exitio? ac quibus bonum, iis ut calamitatem sua uictoria daret? an quos locupletare, & beatos facere studebat, eos opibus despoliare, & libertate priuare uoluisse credendum est? Alterum impedimentum longè maius sua diligentia, & industria superare etiam conatus est; cum enim in eius imperio extitissent, qui noua religione populorum animos obstringerent, tanta uesania, ac superstitio illorum mentes occupauit, ut ad Dei pium cultum nunquàm reuocari potuerint, ad opiniones imperitorum noua decreta passim fingi cæperunt, nouus cultus, noua instituta. Carolus contra

Vnum impedimētum Cæsaris Car.

Alterum impedimentum.

Pius,

Pius, Magnus, Augustus, cum intelligeret sibi in primis religionis curam esse demandatam, & suum esse munus, sacra, ceremoniasq; in concilio sanctissimorum patrum tàm sæpe confirmatas tueri, ac retinere, tùm ut illorum opera ad decertandum prœlio cum barbaris uti posset, sanare illorum mentes blanda oratione primò, & precibus, mox graui hortatione, cum illos ad colloquium, & congressum suum uocasset, impellere cœpit, ut aliquando sese colligerent, & aliquid loci rationi, ac ueritati darent. Quid multis? uentum est ad arma, aliter enim causam Pontificis, & S. R. E. tueri non poterat, nec ab illis subsidia, cum à pio Dei cultu, & maiorum institutis abhorrerent, impetrare se posse sperabat aduersus Christiani nominis hostem, huc enim omnem cogitationem dirigebat suam, omniaq. faciebat, quare propositum assequeretur. Sed unde me uocatis, eodem ego uos reuoco. Quæso redite in memoriam V. H. quanta fuerit Imp. nostri in bello fortitudo, quantus ardor, quàm magnus animi impetus, quanta celeritas. ipse fuit belli administrator, ipse præfuit. O' Imperatorem summum, ò uere Imperatorem. Bellum magnum, & periculosum, quod ab agitatis populis ob religionem gerebatur, atque ab integris ciuitatibus, & potentissimis principibus erat susceptum, una æstate, & hyeme profligatum, ac pene sublatum fuit. duces hostium capti, milites aut trucidati, aut fusi. urbes ultrò se Cæsari dediderunt: Sic Germaniam Imper. Carolus, quæ nullis ante superiorum Impp. uictorijs, aut triumphis tota pacata fuerat, suis trophæis uniuersam ornauit, armisq. subegit, & imperata sua facere coēgit. Ac ut perspiciatis ipsum tunc nihil, quod non ad cultum Dei pertineret, cogitasse, expendite quæso uocem, quam ab eo clare' prolatam omnes circumstantes duces, & milites exaudierunt. VENI, VIDI, CHRISTVS VICIT. ò uocem Imp. Christiano dignam, ò magnū Augustum, ò Principem fortisimum, ò pium, ò felicem. Quis hunc non dicat B. R. P. natum? Eandem quidem certe' uoluntatem semper habuit Cæsar optimus, & si non eandem facultatem, aut æque magnam semper habuit, neque aliò collineabat eius mens, quàm in Asiam. Multæ ad illum habitæ sunt orationes, multæ querelæ. memini ego, memini cum audirem aliquando Card. S. R. E. Iacobum Sadoletum uirum Clarifs. atque omni memoria dignum, de uirtute Imp. Caroli copiose' loquentem, dixisse, nunquam se illum adeò commotum uidisse, quàm cum ad bellum contra Turcarum Regem suscipiendum religionis causa hortaretur; uultus enim sensum animi indicabat. accipere etiam se omen dixit, daturumq; operam pollicitus est, ut ne frustra eū

Religio Caroli Quinti.

Bellum Germanicum.

in dicendo laborem suscepisse uideretur. Maxima est igitur eo die affectus lætitia, cum in Germaniæ urbes post uictoriam iussit antiquos Christianæ religionis ritus, & instituta reuocari, sanxitq; , ut cuiuis impune S. R. E. decreta palàm seruare, defendere, ac laudare liberum esset. Pacatæ ut magis res essent, concilium haberi more maiorum, annuente Pont. Max. tùm in hac ipsa urbe, tùm Tridenti, in quo essent doctissimi Episcopi, & Card qui de religione, & ceremoniis, atque de antiquis patrum scitis differentes cum omni potestate statuendi audirent. Sed ecce tibi noui motus, noua trepidatio, noui tumultus, noua bella orta sunt. ita concilium, quod erat institutum, dimittere coactus, rursusq; ad arma itū est. Quid ego uobis referam hoc loco, quanto studio sacerdotes, qui templis, & aris Dei Opt. Max. omniumq; diuorum præsiderent, delegerit? indignum. n. censebat sacerdotio, qui caste', & puriter uitam non egisset, aut socium fefellisset, aut depositum non reddidisset, aut alieni appetens, sui prodigus fuisset, aliàmue fraudem admisisset. Sancta res est sacerdotium, quo qui præditus est, ut pro populi salute sacra faciat, & nota nuncupet, Deo ut sit charus oportet. Vsque adeo tamen multi sunt, qui incestis etiam flagitiis, & nefariis sceleribus, non ipso tantum aspectu castissimas ceremonias, & sacra polluunt, ac uiolant. Magna sunt, quæ dixi hactenus; sed multò maxima, quæ dicam, ex quibus, quàm colens religionis Imp. Carolus fuerit, cognoscetis. Pontifici Max. Sanctæque R. E. semper, uti decet, subiectus fuit; suosq; omnes subiectos, & obedientes esse uoluit, grauiq; animaduersione, & supplicio usus est in eos, qui Pontificum decretis, religioniq; maiorum decretis comprobatæ obtrectasset. Quid? quòd Tunete expugnato, ex lapidiciniis, & ergastulis, in quibus miserrima supplicia multis annis cathenis constricti pertulerat. XVIII. Christianorum millia soluta, ac libera dimisit. Vidisses in miserorum uultu pallorem, in artubus tremorem, imbecillitatem, ac maciem in toto corpore, ut nihil de illuuie, & squalore dicam. Sustulerunt illi manus in cœlum, & Deo Opt. Max. gratias egerunt flentes, precatiq; sunt, ut diu Imp. Carolum in terris esse pateretur, qui saluti miserorum succurreret, nec imminere posthac prædonum furorem Christianorum fortunis & liberis fineret; eorum enim tanta est sæuitia, ut siquis ante scierit, quantæ sint omnium suppliciorum acerbitates, quamq; infinita mala, quæ subire necesse est iis, qui apud nefarios piratas Christiano nomini infensos in seruitute manserint, atque optio detur, malit centies sese è naui in fluctus eiicere, ac mergi, quàm ibi annum unum seruitium tàm graue pati etiam cum certa spe elabendi; uultis id de quo loquimur, clarius

Cócilium Tridentinum, et Bonon.

Religio et pietas Caroli.

Expugnatio Tuneti.

rius perſpicere? cogitate quàm ſæpe ad ſanctiſsimorum, ac maximorum Sanctæ Rom. Eccl. Pontificum genua officii, & pietatis ergò, cum in colloqutionem ueniſſet, ſeſe proiecit; atq; pedes ipſorum de more oſculatus eſt; Quid? quòd à Clemente V I I. Pont. Max. diadema ſibi imponi in hàc ipſa urbe uoluit, quæ quidem ſacra rite, caſteq; ſine maximis, ſanctiſsimiſq; ceremonijs perfici non poterant; fuerant enim iam inde à Caroli Magni temporibus in hoc uſque tempus inſtitutæ, ac ſeruatæ, ut unde initium fuit imperii, inde etiam peterentur, quæ ad agendum auſpicium militare ſpectant; ut nihil niſi auſpicatò gereretur. Quòd ſi qui neglexerunt aliquando ſalutaria hæc auſpicia, neque iis ad res gerendas uti uoluerunt, ipſorum amentiam & auſpiciorum ſanctitatem ſatis exitus ipſe approbauit. Vos opinor audiſtis ſanctiſs. Pontificis uerba ante XXX. ferè annos in templo maximo, quibus ut omnia Imp. Carolo pro ſalute imperii, & Chriſtianorum gerenti ſecũda euenirent à Deo Opt. max. precatus fuit, audiſtis deteſtationes, ac diras; quibus Turcarum regem confixit, quas dum proferebat, ſubterranea loca mugire, terra contremiſcere, cœlum ipſum ardere uiſum eſt. Me pudet mehercle referre nonnullorum Impp. ſuperioris ætatis peruicaciam, & peruerſitatem, qui obliti, à quo ius, poteſtatemq; omnem, & imperium accepiſſent, ſe ab improborum conſiliis ſæpe auferri paſsi ſunt; homines enim imperiti cum eſſent fœderum antiquorum, rudes exemplorum, ignariq; humani, ac diuini iuris, inſtigare eos auſi ſunt, ut quos tueri, ac fouere debebant, eorum negligerent ſalutem, & dignitatem oppugnarent, quorumq; opera in tam excelſam dignitatis, atque honoris ſedem aſcendiſſent, eos perdere ſtuderent. Nonne ueniebat illis in mentem Carolus Magnus, qui primus ob egregiam uirtutem, & plurima in S. R. E. merita tali honore dignatus fuit? Quàm pudenter ille, quàm uerecundè Romam cum ueniſſet, profligatis unà cum eorum rege, ac cæſis Longobardis, qui ducentos annos domicilium, & arcem Imperii ſui in Italia habuerant, omneſq; ferè urbes in ditionem ſuam redegerant; Exarchos quoque contra omne ius, & fas expulerant, atque ipſam Romam iam iam oppugnaturi uidebantur, ſeſe ſupplex ad pedes Pont. Max. magnus, inuictus, piuſq; rex proſtrauit. Cumque Pontifex diadema illi imponere, ac Imperatorem Rom. Italiæ, ac regionum omnium, quæ in occidentis ſolis partibus, & ſeptentrionis ſunt, appellare uellet, quàm inuitus primò audire, quàm deinde modeſte renuere, & excuſare ſeſe, ita tamen, ut Pontifici obtemperare uelle eum omnes intelligerent. Suſcepit igitur is Sanctæ Romanæ Eccleſiæ patrocinium, nec, quandiu uixit, bono auſpicio

Coronatio Caroli.

Digreſsio contra eos Impp. qui coronari noluerunt a Pont. Rom. accipere.

De Carolo Magno.

hostes religionis, qui Germaniam, Hispaniam, & Aphricam inuaserant, atque occuparant, prosternere destitit. Secum ille iureconsultos humani iuris peritissimos, sacerdotes castos, ac bonos, qui diuina decreta scienter, ac perite interpretari possent, quorum uita, & omnis actio doctrinæ, ac disciplinæ erat consentanea, adducere solebat in castra, qui uictis à se populis auctores, ac magistri essent ueræ pietatis, ac religionis, atq; omnia, quæ ad Dei seruatoris nostri cultum pertinent, ipsis patefacerent. Aut illis pereundum, aut religio, quæ ad pium ueri Dei cultum a S. R. E. tradita erat, suscipienda. Hęc fuit tunc mutua animorum conspiratio sanctissimi Pontificis, & Imp. Caroli Magni ad religionem & cultum Dei, S. q; R. E. dignitatem tuendam. hic consensus in Repub. Christiana bene gerenda, quem Imp. Carolus V. semper imitari studuit, nihil enim unquam contra Ro. Pontificem non modò egit; sed ne cogitauit quidem. Nequis mihi hoc loco urbis Ro. direptionem, & uexationem Pontificis nominet. scio hæc obijci Carolo ab imperita multitudine solere. Emoriar, si me non perfudit horror, cum incidi in mentionem tantę acerbitatis, & miseriarum. Vtinam uerò tàm facile esset audaciam hominum resecare, quàm maledicta diluere. Desinite, desinite talia Cæsari obiectare, cuius de pietate, & religione tam est omnium bonorum fama consentiens. Ipse mehercle Pontifex reipsa declarauit Carolum huius tam nefarij consilij neq; auctorem, neq; participem fuisse. Quid? diadema illi in tanta Italiæ totius celebritate, solenni more dedisset? meministis enim qui concursus undiq. tunc factus sit hominum tantæ multitudinis, quantam uix amplissima hæc urbs capere poterat. Natalem diem celebrabat in Hispania Imperator filioli, quo nuper erat auctus, magno sanè ludorum apparatu, cum illi nunciatum est urbem captam, & direptam à suis ducibus; Pontificem maximum in arce obsideri, magnumq. in discrimen esse adductum. Concidit animo, & expalluit, maximàq. cum dedisset, & plurima doloris signa, ludos intermitti statim iussit, ac ne puncto quidem temporis interiecto excurrere in Italiam expeditos ex suis multos iussit ad exercitum; mandauitq; obsidione liberari Pontificem; & prædam, quæ reliqua erat, non asportari. & procul ab urbe recedere copias omnes. Borbonius Dux, qui summam rerum tunc administrabat, auspicioq. Caroli in Italia bellum gerebat, id è re nata ceperat consilij, ut Romam peteret ipsum caput insciente Carolo. magnis igitur itinerib. clàm noctu eò contendit, Ticino relicto, quod Galli circunsidebant; celeriusq. ferè Romam peruenit cum exercitu, quàm uenire aut nunciatum esset, aut crede-

Ro. urbis direptio.

Dies natalis Philippi Regis Imp. Car. filij.

crederetur. Inuitatus ab alijs, qui Pontificis gloriæ inuidebant, creditur fuisse; id quod postea patuit, dum enim Pontifex obsidebatur, Italiæq; principes reliqui dolebant, ac subsidio ire parabant, ipsi lætitia palàm exultabant; & sanctißimorum uirorum imagines de templo detrahentes, ubi uoti soluendi causa fuerant appensæ, atque ad memoriam sanctitatis, & pietatis erga Deum Opt. Max. Virginemq; Seruatoris nostri matrem, collocatæ & consecratæ, per urbem raptarunt, agnatosq; omnes, & affines Pont. è proprijs possesionibus, & fortunis exturbatos in exilium eiecerunt. hanc ignominiam, atrocemq; iniuriam in Pontificē Max. iactam, & immissam studio maiore persecutus est Imp. quàm ipse Pontifex. Taceant igitur, taceant maleuoli, nec summam laudē Imp. fortisimo, & pio inopia criminum uitio dare audeant. Redeo ad Imp. Caroli religionem demonstrandam; strenuè enim nauigandum, postquam tanquàm ratis immenso mari nostra uehi cœpit oratio. Orbis noui incolas seiunctos à nobis, nulli ueterum cognitos aui sui Ferdinandi Tarraconensium Regis auspicio, & ope primùm inuentos, ac uictos habebat in sua ditione Imp. Carolus. quod cum cogito quale sit, conorq; explicare, uerba mihi mehercle desunt, nec satis statuere possum, unde ordiri debeam. Veteres tanta rerum omnium scientia præditos, tantis opibus, tanto ocio non potuisse intelligere aliquos, quàmuis latè interiecto mari populos regionem tàm amplam, agros tàm fertiles incolere? illos rursus ad nos nunquàm uenisse? disciplinæ naualis non fuisse peritos? nauium usum ignorasse? imò ne uidisse quidem unquàm, aut excogitare potuisse? non esse ausos nauigare? qui ad Orientem urbes habitant, cum propius ab orbe nouo absint, tàm socordes fuisse, tàm incogitantes, ut illis in mentem non uenerit unquam perquirere nouas insulas, nouas urbes, & regiones? At hoc fortunæ totum attribuendum est, uel Deo Opt. Max. potius, qui, cum Tarraconensium Rex pietate cæteris omnibus esset superior, felicitate ut ne esset inferior effecit. sumptum igitur omnem ille nauarchis in classem, & milites dedit, ac precatus illis ut bonā Deus nauigationem daret, soluere iußit. Ita paulò pòst non unius urbis, sed orbis terræ princeps est factus, orbis inquam cum quauis nostri orbis regione pulcherrima conferendi. iacet enim ad Orientem medio mari, atque in eo spatia camporum immensa sunt, & frugifera. Quid ego uobis referam, quanta illic sit fructuum ubertas, quanta frugum copia? non omnem frugem, non omnem arborem in omni agro nostri orbis reperiri scitis; illic omnium arborum, omnium frugum mira est abundantia; florent omnia multò ante, multò ante ad spicam perueniunt fruges.

De orbe nouo

fruges. multò ante herbas terra effundit; illic non turbulentæ, sed serenæ sunt tempestates, aer non crassus, sed tenuis, & purus; pastiones tàm multæ, ut innumerabiles greges alantur; agri lati, & opimi, iucundi etiam, undique enim resonant concentu auium, quas noster orbis non habet. gemmæ illic prægrandes, & margaritæ, quas ad nos deferri uidemus. aurum sibiipsi paruo labore nunc fodiunt, quod ante non modò fodiebant, sed ne nouerant quidem. Nequis nunc mihi narret Asiæ opima arua; bonitate agrorum, & magnitudine fructuum nouus hic orbis longè antecellit. At mare uastissimum transire est necesse. quid tùm postea? explorate qui nauigant, quiq; cupide non proficiscuntur, naufragium non faciunt; boni si adsint gubernatores, non est difficile, ut secundè cursum naues teneant. orbis igitur noui huius, cuius nomen inauditum antè, Rex, ac dominus fuit Imp. Carolus; O multo beatiores illi, quibus talem regem ante Carolum, postea & ipsum Carolum sors dedit, quàm aut ipse Rex Cæsaris auus, aut Carolus. carere facilè ille potuit, aliunde.n.infinita copia suppetebat, margaritis, & auro. at illi si caruissent tali Rege, perpetuò infelices fuissent, ac more pecudum uixissent, nulla religio, nullus Dei cultus, aut notitia apud eos erat, solem tantum in tuebantur, & lunam, ac stellas magna cum admiratione, lacte carne, & radicib. uitam tolerabant suam, nulla lex uiuendi, aut rectè uiuendi, nulla nulla ars, nulla disciplina, illi primò resistere armatis militibus; mox, ubi nostrorum impetum sustinere non poterant, abijcientes sese ad pedes ipsorum cædi sese patiebantur. Aut uincere, aut uinci ipsos oportuit. si uicissent, in sua illa feritate perstitissent, nostros trucidassent, in ipsa uictoria miserrimi fuissent. longè igitur utilius ijs fuit uinci ab Hispanis, quorum reges tam pij, tam colentes religionis sunt, tam fortes, tàm potentes. Quid? si ab ignauo aliquo genere militum fuissent uicti? aut exportatis gemmis, & auro, rebusq; omnibus illi ad suos rediissent, aut illic remansissent. illud miserum; hoc eò maius, magisq; deplorandum malum, quò longius, ac diuturnum magis. expilari enim acerbum est, sed regi ab ignauo hominum genere longè acerbius; ad illorum enim consuetudinem, & mores deduci necesse est, nec satis præsidii potest esse in iis, qui desides, ac timidi sunt: ab iis igitur regibus uinci utile fuit, quorum sanctiss. semper fuit disciplina, iusti, religiosiq; mores, incredibilis uigilantia, singularisq; fortitudo. Non modo igitur inueteratam illam barbarie, & feros mores ex illorum natura deleuit Imp. Carolus, dum semper moderatos, frugi, atque ex omni Hispaniæ totius flore delectos principes, qui illis præessent, in eas regiones misit, sed etiam ritus, ac ceremonias omnes,

omnes, ut rei diuinæ operam darent, uerumq; Dei cultum illis tradi iusſit ab optimis, ſanctisſimiſq. uiris, qui ipſos quotidie doctrina, & exemplo iuuare poſſent. O' Pium, ô felicem Auguſtum, ô liberatorem urbis ô conſeruatorem orbis. Puto uos non ignorare V. H. qua ratione princeps ſummus ille Deus omnia ſuo nutu adminiſtret, imperia retineat, tollat, augeat, imminuat, conſeruet, piorum & impiorum mentem perſpiciat, impellat, moderetur; ſuaq; cura, & prouidentia ſingula conficiat. Non ille quidem præſens tanqàm aliquis dux, qui milites conuocat, armari iubet, & ſtare in acie, ſed, cum pura mens ſit, uim habet tacitam permouendi animos Regum; priuatorumq. hominum ſingulorum, ut aut eadem agant, aut diuerſa, ſæpè autem exitus indicat non alia ratione potuiſſe rem perfici. optant aliquid homines, ſæpe id exitus habet contrarios, fugam quærimus, inſiſtimus, urgemus, res aliter cadit; quò cadat, quid ſinguli uelint pater, quorſum ſit caſura nullus ſcit. Miramur interdum rem aliquam ad exitum non uenire, cum uolumus; uenire poſtea, cum minime ſperamus, aut cogitamus. Innumerabiles anni ſi cum æternitate conferantur, punctum temporis eſt. Serò uidetur nobis aliquid factum. miramur. at ſatis in tempore factum iudicat Deus. ignotus antè fuit nouus orbis; nullus ne per ſomnium quidem de eo cogitauit. tùm cogitari cæptum, cum opportunum fuit tempus, & ab ijs, qui maximas opes habebant. Longius aberant Tarraconenſis Hiſpaniæ reges, quàm immaniſsimi Turcarum, aut Perſarum tyranni à nouo orbe. illi eò penetrarunt, non hi. Quid dici poteſt aliud, quàm immortali Deo, ſummo rectori, ac domino placuiſſe, ut ne ſimplex illorum hominum mens falſas de Deo opiniones imbiberet, ſed uera religione imbueretur ſub iis regibus, qui, quæ ad cultum Dei ſpectant, & Chriſtianam diſciplinã retinendam, ſummo ſtudio procurare ſoliti ſunt. Miramini tàm pium, tàm colentem religionis, tàm conſtantem fuiſſe Imp. Carolum? reſpicite quæſo, & recordamini, ſi libet, pauliſper ultimum illud pueritiæ ipſius tempus, quo in Belgis apud Imp. Maximilianum auum educatus, & inſtitutus fuit. Apparebant in eo ſcintillulæ ueluti quædam uirtutum, ex quibus non multò poſt accendi mens, & illuſtrari ratio potuit. & quàmuis quaſi per caliginem in infirma ætate prima illa elementa in animo illius cernerentur, ita tamen natus, factuſq; uidebatur, ut inſita in eo principia facile cognoſci poſſent, habebat. n. aciem mentis ad omnem uirtutem percipiendam aptam. Vbi primum ſenſu, & animo uti per ætatem cœpit, atque qui eſſet, & a quibus ortus agnoſcere, ita augeri uiſa ſunt illa uirtutum ſemina, quæ in animo incluſa erant, ut cauſa

Locus de prouidentia Dei.

Pueritia Caroli.

tàm

tàm multarum, tàmq; honeſtarum actionum, quæ inde poſtea prouenerunt, facilè cognoſci poſſet. Aequalibus delectabatur, dabatq; ſe ad ludendum. a fabularum auditione non abhorrebat, non earum quidem, quas uulgò homines confingunt, ſed antiquarum, quæ & uim exemplorum habent, & rationem bene, ac beatè uiuendi continent. ſi certaſſet cum æqualibus, & uiciſſet, exultabat lætitia, ita tamen, ut aliqua miſericordia, ſiquid illi doluiſſent, permotus uideretur, & uictoria moderatè uti, ac ſcienter; ſi uictus fuiſſet, animum non demittebat unquam, ſed alacer redibat ad pugnam. Siquid domi fiebat, curioſius animaduertere ſolebat, cunctaq; exquirere diligentius. Cum aliquando ex ſene, qui diu in aula Imp. aui ſui uixerat, dum ludos ſpectaret, & quàmplurimorum, cum equites præteruehenrentur, in quibus inſignitæ quædam nobilitatis notæ apparebant, nomina exquireret, diceretq; ille ſe neſcire; patet, inquit, quàm nihil præter tuum negotium agas; Quartum agebat annum Carolus, cum è uita excesſit auia ipſius Iſabella Regina lectiſsima fœmina; & quamuis per ætatem ſentire dolorem non poterat, cum uideret tamen lugubres lamentationes Ioannæ matris, aſpiceretq; Philippum patrem ſuum in luctu eſſe, & mœrere omnium hominum ordines, ac totam ciuitatem, ueniſſetq; etiam ipſe ad cohoneſtandum funus, percunctatus ab educatore ecquid illud eſſet, & cui funus tam luctuoſum fieret, cumq; auiā Iſabellam mortuam eſſe illi dicerent, illacrymari cœpit unà cum aliis, & uultu dolorem præ ſe ferre. Vbi unus, & alter acceſsit annus, ad memoriam ſæpe reuocabat auiæ nomen; penitus enim animo inſederat, atque imaginem, quam domi habebat, intuebatur. cumque prudentiam illius ſingularem, & ſummam fortitudinem multi extollerent laudibus, & res ab ea geſtas etiam bello narrarent, dum Rex abeſſet in Hiſpania, uſq; adeo ſtudio gloriæ incitari ſolitus eſt, ut iam cuperet ad arma concurrere, & in caſtra ire cum alterutro auorum. nam uterque magno bello gerendo tunc, alter in Germania, alter in Italia erat occupatus. Rem autem illa geſsit poſt hominum memoriam maximam. cum enim in Hiſpania adhuc reſiderent Maurorum reliquiæ, & quidem magnæ, quæ mores, & religionem ſuorum inquinarent, eas bello perſequi ſtatuit: Rex illorum magno comparato exercitu in aciem uenit, firmiſſimiſq; præſidiis urbes muniuit. uerùm profligatus paulò poſt cum ſuis ſe in fugam dedit, ſtatuitque obſidionem ſuſtinere, & leuibus certaminibus, atque crebris eruptionibus rem experiri. Sed ubi urbes magna ui expugnatæ, & milites cæſi ſunt, nec diutius famem, qui incluſi erant, perpeti poſſent; ſe ſe Rex, omniaq; ſua Reginæ dedidit; ita Regni illius

Mors Iſabellæ Aragoniæ auiæ Imp. Car. V.

Iſabella

Isabella posita est. Bellum autem ipsa administrauit, summæq; rerum præfuit. ipsa milites incedebat ad pugnam. ipsa aderat, dum urbes magna ui oppugnabantur. Nunquam de fortissimæ huius Reginæ maximis uirtutibus silebitur. nunquam ex hominum animis discedent tàm strenuæ, tam præstantis fœminæ facta. quis enim non iure miretur ex omni memoria ætatum & temporum talem extitisse Reginam, quæ bellum tàm magnum aduersus potentissimum Regem gesserit, eumq; regno exturbarit suo? Taceant, taceant ueteres, neque posthac suas solùm iactent; Mater castrorum dicta olim ob fortitudinem Victoria Imp. Aurelii Victorini mater. Mater exercituum uocata Faustina; sed quid illæ gesserũt, quod non ab Isabella sit gestum? Iulia Septimii mater fortissima, ac super omnes fortunatissima ex S. C. dicta, idq; adhuc in arcu Romæ elogium legi potest. Fortissima, ac fortunatissima non modo super omnes, sed etiam super illam Isabella Castillia, P I A, felix, inuicta, castrorum mater, & exercituum. maxima, ac semper Augusta. Non multò post Ferdinandus Caroli auus pari fortuna aliam Hispaniæ partem, quæ cis Hiberũ est, & ad Pyrenæos uergit, imperio suo adiecit. Nam cũ Pont. Max. dirarum obnunciationem neglexisset Nauarrensium rex, seseque cum aliis coniunxisset, qui irrita, infectaq; patrum scita esse uolebãt, quo tempore illum Pont. fecerant, & se controuersiam uelle hanc omnino dirimere pollicebantur, de regni possesione deiectus est à Ferdinando, in qua postea Pont. edicto permansit. Quintum iam & decimum agebat annum Carolus, quo tempore in Hispania demigrasse è uita Max. ac potentiss. Regem Ferdinandum suum audiuit; tum uerò illi nihil aduersi auum sine acerbissimo animi sensu, ac dolore accidere poterat. opinione omnium eò maiorem cœpit dolorem, quòd aberat Maximilianus auus, reliquias enim persequebatur Italici belli, ac retinere studebat captas urbes, & quæ negligentia suorum ducum amissæ fuerant, recipere conabatur, quod tamen reflante iam fortuna, atque in aliam partem inclinante conficere non potuit. Huc accedebat, quod ex Hispania magni motus nunciabantur eorum, qui ipsius gloriæ inuidebant. tot. n. tantorumq; regnorum, & tam multarum urbium in Hispania, in Italia, Sicilia Sardinia, & aliis regionib. uenire in possessionem iure hæreditario externum Principem æquo animo non patiebantur. Triennio ante cladem illã audierat, & cædem ad Rauennam; Gallorum magnos conatus fuisse uiderat, præuidebatque longè maiores fore, ut Neapolim reciperent. exulceratos animos multorum esse sciebat, instabiles hominum uoluntates ipse perspexerat. irritates alios ab auo non conquieturos credebat. Adde quod biennio post in Germania extitit lues illa, quæ reli-

Regnum Nauarrensium à Ferdinando partum.

Mors Ferdinandi.

Imp. Maximilianus auus Caroli V

gionem Chriſtianam polluere cœpit, quam & auo, ac ſibi, ſi Imperium ſuſcepiſſet, magno impedimento ad res gerendas fore perſpiciebat. Tumultus illos in Hiſpania, qui poſtea ſine bello non fuerunt, ne excitari quidem eſſet paſſus Caroli pater Philippus Rex ſapientiſs. ac fortiſsimus, qui biennio poſt Iſabellæ Reginæ mortem à ſocero Ferdinando in eam Hiſpaniæ partem, quæ ad Ioannam ipſius coniungem pertinebat, hæres fuerat uocatus, atq; Rex declaratus. Cûm igitur Philippo ſedem Imperij, & domicilium Regis præbuiſſent, ſtatim ad Tarraconenſes ſuos redijt Ferdinandus. ſed audita paulò poſt generi morte, ſtatim eodem redijt, ut populos in officio, ac fide retineret. Satis iam conſtabat nobiliſsimas duorum regum, qui ætate ambo erant cõfecti, familias ad duos redactas eſſe nepotes; omnis enim illorum ſpes poſteritatis, cui omnes natura non modò reges, ſed etiam priuati ſeruiunt, in Carolo, & Ferdinando collocata erat. Ferdinandum in auita regna reuocare ſtatuerat Imp. Maximilianus, ut diuerſam ueluti quandam orbis terrarum partem uterq; regeret; & cûm animis inter ſe coniuctiſsimi eſſent, alteri alter, cum opus eſſet, iret ſubſidio, atq. communibus hoſtibus ſimul reſiſterent, uel potius eos inter ſe coniungi non paterentur. Sæpe audiſtis, credo, Imp. Carolum nunquam, aut raro ridere ſolitum. miramini? mirentur alij, qui Regum uitam omnibus uoluptatibus refertam eſſe exiſtimant. Vos uero V. H. qui ſcitis, quàm magnis in rebus ſtatim puer adhuc uerſari cœpit Carolus Rex ueſter, nihilq. laborioſius, aut magis exercitum eo fingi potuiſſe, riſum, qui pertenuis eſt ueræ hilaritatis fructus, nunquàm captaſſe, neq; ad eum excitandum mimos, aut ſcurras adhibuiſſe, ſat ſcio non miramini. traduxerat enim ab hilaritate, & riſu animum ad ſeueritatem, ita tamen ut in ea ne minimum quidem eſſet triſtitiæ, aut acerbitatis; plenus curarum erat, plenus ſollicitudinum; dies, ac noctes cogitabat, qua ratione tantam Imperij molem cum laude ſuſtinere poſſet; in eo omnem lætitiam, omnem laudem, omnem iucunditatem ſibi propoſuerat. ita ab initio educatus, ut ſemper duorum auorum fortitudinem ſummam, & rerum geſtarum magnitudinem admiraretur, & imitari uirtutem ſtuderet. quicquid ocij illi, dum puer eſſet, à maximis his cogitationibus dabatur, id totum in cognoſcendo temporum ordine, & memoriæ ueteris libenter ponebat. Hiſtoriarum enim in primis auditione ducebatur, quæ cum omnis antiquitatis commemorationem, & rerum geſtarum ordinem contineant ſæpeq; in ijs regiones, ac pugnæ deſcribantur, quibuſq. uerbis fortisſimi duces ſuos ad prælium fuerint cohortari, quæ præmia cuiq; ob uirtutem

Mors Philippi patris Caroli.

Ferdinandus frater Car.

Educatio Caroli.

Hiſtoriarum auditione delectabatur Carolus.

tribui,

tribui, & quæ pœna constitui soleret, explicare fuerit mos; seditiones prçterea, & ipsarum causas, causas etiam belli suscepti, principia & rationem gerendi, atq. ipsum exitum, singula attentè cognoscere studebat, & conferre cum ijs, quæ uterq. auus tunc gerebat. Ardebat, dum, quæ literis mandata sunt, summorum Impp. & Regum scelera audiebat, odio illorum; ac detestabatur; nihilq. miserius esse sæpe affirmabat, quàm non posse aliquid cum laude in summo Imperio gerere, quod posterorum memoriæ tradatur. Quid? cum Germanorum Imperatorum annales percurreret, quàm sæpe doluit tantas extitisse dissensiones, tàm multa à nonnullis contra ius, & fas suscepta bella; quanta uerò lætitia exultabat, cùm suorum maiorum res gestas legeret? agnoscebat enim in illis imaginem optimorum Impp. & ueteris disciplinæ, atq. Imperij exemplum. Imperium Romanum in Italia defecisse, dum Gothi, immanissimum hominum genus, Italiam tenerent, ac tertiam poscerent agri italici partem ab Augustuli Cæsaris tutore Oreste uiro fortissimo, eo.n. perempto Odoacer Rex in Italia sedem Imperij, regniq. sui domicilium collocauit ante mille, & triginta septem annos, quàm hæc nunc à me dicuntur, sicq. factum esse, ut Roma Imperatorē non habuerit annis CCC & XXV. usq; scilicet ad Magni Imp. Caroli ætatem, qui à Pontifice Max. quòd Longobardos profligasset, Sanctæq. R. E. laboranti succurrisset, Imp. est factus ante hoc tempus annos DC. LXX. paulò plus, minusue; cognouerat Carolus noster ex historiis, secumq; euenta, & causas rerum omnium sæpe cogitabat. memoriæ mandarat etiam eo ipso mense, quo Othomanorum Imperium in Asia cœpit esse. Cæsarem Albertum ex Austria familia ante CC. & LX. annos fuisse delectum, ut quibus fortuna eodem tempore Imperium elargita fuerat, inter eos, eorumq; posteros omnes fatale quoddam esset odium Quis enim nescit etiam postea annos C & LXVI. Constantinopolim magna ui à Turcarum Rege Othomano fuisse, non sine magno omnium dolore, ac gemitu expugnatam, quadraginta annis ante ipsius Imp. Caroli diem natalem; cumq; tunc Imperium administraret Rom. Cæsar Federicus Henrici filius Austrius huius nostri proauus, eo in primis suadente, communi consensu ab omnibus Christiani nominis Regibus, ac principibus bellum aduersus Turcas susceptum fuit. Quid? nonne quia puer adhuc Carolus audierat à materno proauo patris sui institutum, penè intermortuum illud fœdus renouauit, quod Arietis, & uelleris aurei nomine continetur. nam sicuti fama est olim Iasonem ducem secutos Argonautas (sic enim postea dicti sunt à naue, qua uecti fuerunt) conspirasse ad uellus aureum in Græ-

Breuis repetitio rerum gestarum a Gothis usque ad Carolum.

Imp. Albertus Austrius

Imp. Federicus Austrius Caroli proauus.

Arietis Aurati fœdus renouatū a Carolo V.

ciam è Colchis exportandum, ita in bello gerendo aduerfus finitimos populos unà cum Philippo Burgundiæ duce multi principes uiri magna amoris conspiratione inter se consentientes, seq; , ac suum caput deuouentes pericula subire statuerunt. Sed id totum ad immanisſimos Christiani nominis, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ hostes referri postea uoluit Carolus; nullum enim bellum iustius est, eiq; rei ob similitudinem tale nomen imposuit; Cuius quidem fœderis tanta est uis, ac sanctitas, ut cum solenni precatione, maximisq; , & occultis ceremonijs contineatur, oẽs qui eo honore fuerint insigniti, certis uerbis se pro Imperij, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ dignitate retinenda statim deuoueant; quod si quis uiolarit, & aduersus ipsum aliquid impium commiserit, nulla ratione tantum scelus expiari potest. Ac ne quis forte putet sine causa Constantinopolim expugnari (inde enim omne malum fluxit) & imperium græcorum tàm facilè a Turcarum Rege euerti potuisse; is cogitet uelim, qualis eo tempore Imperij esset status, quanta conuersio, quàm magna inclinatio rerum omnium. Ex intimo odio, & ira, quam principes corde conceperant, seditiones quàm plurimæ erant ortæ; nec ante fuit discordiarum finis, quàm omnium opes paulatim consumptæ. Conferte tempora, fontes ego uobis demonstro rerum omnium, quæ post consecutæ sunt, & causas miseriarum, quas nostra ætas habet; redite in memoriam alterius cladis. In Andronici Palæologi Imp. Constantinop. fortunas post Ro. euersionem imperij in Italia annos fere C C C C antequàm hæc à me narrantur, C C L. annis, eruperat omnis uis, neq; Turcarum impetum sustinere poterat, cùm ante imperium propter diuturnas discordias esset non modo afflictum, & accisum, sed penè etiam consumptum. At spes aliqua in occidentis Imp. collocari poterat? erat & hæc præcisa omnis; nisi forte in ignauisſimi hominis, à quo nihil expectabatur boni, quia nolebat, nihil metuebatur mali, quia non audebat, potestate, & fide fuit ponenda? Vencislaum enim Cæsarem audistis Imp. Caroli IIII. Boem. regis fortisſimi, ac optimi Fil. uita omni inquinatum eo tẽpore imperasse, qui patri, & auo Impp. dedecori fuit. nam cũ à grauitate perenni, & contestata maiorum suorum uirtute is primus degenerasset, uno uitio minus erat uitiosus, quàm peruersisſimi homines esse solent, quòd somni plenus. Non igitur ex tali parente, sed ex impuro quouis, aut potius ex se ipso natus uidebatur; quare omnes illum despiciebant, sæpe etiam in uincula coniectus seruilem in modum à suis fuit. Alterum Vitellium putate; is enim etiam olim quantum de diligentia, ac studio remittere, tantum etiam despici à Ro. cœpit. Sed quid ego singula

Philip. Dux Burgundiæ pronus Caroli.

gula persequor ? Nonne cùm Tarraconensium Rex icto fœdere cum Imp. Ioanne Palæologo, & Venetis, ut bellum susciperent contra. dicam ne ? non dicam. Sed uos ipsi fortasse scitis, qui totius memoriæ ueteris ordinem tenetis. Laudandi quidem Veneti,& Rex Tarraconensium, qui Palæologi Imp. causa recepta, iis, a quibus illius salus in discrimen adducta fuerat, bellum indixerunt, sed coacti sunt illi ad Amuratem Turcarum Regem confugere, & se cum eo, ut potentissimis hostibns resisterent coniungere. Immanissimus igitur Rex nauibus illorum utens, atq; ex altera parte, quod Palæologus non putarat, impetum faciens Hadrianopolim, & Habydum occupauit. nec ita multò post Tarraconensium regem classe deuictum in Bosphoro, ubi pugnatum est, unà cum alijs fuga salutem quærere coegerunt; ò quam acre; ò quàm magnum; ò quàm acerbum deinde est consequutum bellum, quod uix post multos annos, tàm magno utriq; ardentes odio certabant, extingui potuit; atq; ita ob dissensionem, & dissidia Christianorum Principum immanissimus hostis quod equidem dolenter dico, dicendum est tamen agris, & urbibus quamplurimis suum auxit imperium; nunquam enim Christiani inter se dissenserunt, quin ille statim rei bene gerendæ occasionē captarit. Hæc Imp. Car. quæ dum puer esset, audierat, sæpe secum tacitus cogitare, multis etiam interdum narrare, quia illorum temporum similitudinem in suis perspiceret, non sine maguo gemitu solebat, quód sibi per Christianorum discordias non liceret aduersus eos, quos maximê fas erat bello persequi, exercitum ducere; facile enim potuisset Turcarum Imperium ab homine Barbaro administratum asperis legibus, nil nisi seruitutem, & quidem acerbam pollicentibus, ab homine bene educato, & forti proposita spe libertatis euerti, si Christianorum reges ad concordiam adduci se passi essent non quidem quòd illorum opibus Carolus ad hostem Christiani nominis perdendum uti uellet, & si æquum erat eos omnia pro communi salute, & dignitate profundere. sed ea una re contentus, ut ne cæptum à se bellum nouis tumultubus interrumperent. Sigismundus Poloniæ Rex sapientissimus, ac fortiss. cum ad bellum contra Turcas suscipiendum quidam ipsum hortaretur, quid opus est, ait, tàm longa hortatione ? I potius ac principibus Christianis persuade, ut concordes sint. existimabat ille rem tantam aliter confici non posse. nec sanè unquam poterit, dum adeo in regnandi cupiditate intemperantes omnes fuerint: ò si in animum inducere potuissent, in Carolo non fuisse hoc flagrans imperandi studium, sed potius cōmunis dignitatis, ac salutis omnium Christianorum retinendæ.

Cupidus erat Carolus belli suscipiēdi aduersus Turcas.

Debent

Debent priuati homines ciuitatem; in qua primum editi sunt in lucem, aras,& focos, mænia & templa eius urbis, in qua educati fuerunt, tueri. debet Imp. non unam aliquam urbem, sed omnes, uniuersumq; orbem existimare suum esse domicilium, ac patriam, proq. omnium salute pro pugnare. Non tàm augustis finibus Imperatorum maiestas circumscribitur; multi ab Imperatore ius habent imperandi, ab eoq; potestatem accipiunt, ornamenta, & insignia; quàm plurimi in illius tutela sunt. communis igitur horum omnium ille est ueluti parens, ac tutor, alios in officio continet, alijs præscribit quomodo recte imperent, ipse sibi nihil quærit, salutemq; aliorum suis præfert commodis. Herculi ueteres magnam roboris laudem tribuerunt, prudentiæ uix ullam, cum tamen non minus alios sapientia, & iustitia, quam uiribus superaret. Is igitur olim cùm Græcia ciuilibus arderet bellis, animis populorum ad concordiam reductis, ad Troiam, hoc est, contra barbaros exercitum suo auspicio duxit, eamq; urbem intra paucos menses expugnauit, ac Regibus omnibus sublatis, qui utrumq; Asiæ littus incolebant, Græcorum colonos in omnia oppida, & regiones à se deuictas pulsis barbaris deduxit. idem efficere studuit, dum uixit, semper Imp. Carolus. sed alii ira, alii uetusto odio, alii religione noua, alii perfidia detracti, alii quòd omnem spem salutis suæ in discordia Principum Christianorum posuerant. alii quòd suis commodis nolebant publica præferre, cum Carolo concordiam ut confirmarent nunquam adduci potuerunt. Vix aliquando semel quiescentibus aliis, pauci conspirarunt ad Christianorum libertatem defendendam, ulcisci illi hostes nostri nominis, & furorē ipsorum reprimere paulisper, cum in perpetuum comprimere non posse sperarent, cupiebant. hi pietatis & sanctitatis causa Remp. ipsam Christ. tueri conabantur; pro aris igitur, & templis bellum tàm iustum susceperant, ut peruersa, ac impia omni religione deleta, uerum Dei cultum, immanissimi homines feritate deposita aliquando susciperent. Fœdere icto cum Carolo, atq; electis ducibus, qui summæ rerum præessent, impositisq; in singulas triremes (erant autem centum & uiginti) lectissimis, ac fortissimis militibus, cum sese in conspectum classis hæc ita ornata hostibus dedisset, statim illi euolarunt, atque sese in munitissimum portum receperunt, uel abdiderunt potius. Lætitia exultabat eo die uniuersa Græcia, erectis enim erant omnes animis expectatione libertatis; ut autem spes erat in illis maxima, ita etiam animus promptus ad omne periculum,& laborem suscipiendū. Ac planè bellum fuisset confectum, & hostes profligati omnes ad unum concidissent, uindicatiq; essent in libertatem Græci. Deos testor sacri-

Expeditio in Turcas mari.

mas me continere non potuisse superioribus diebus, cùm ad me ab amicissimo homine, qui apud Chios est (eo enim uiuuntur nunc medico) literæ essent allatæ, in quibus erat scriptum multas se insulas, quæ Aegeo mari circumfusæ sunt, peragrasse, nullum oppidum, nullam urbem, nullã arcem illic remanere, sed ne uestigia quidem extare; portus esse eosdem, eosdem montes, eandem cœli temperiem, eandem agrorum, & locorum omnium naturam, florere omnia, omnia uirere, undiq; fontes scatere, riuos belle fluentes per medias ualles cerni, terram ubique plenam esse salutarium medicamentorum, præterea & herbarum, quarum utilitates olim maximas peritissimi uiri longo tempore perceptas literis mandarũt. Homines ipsos illic scabros, illuuie plenos incultos, & horridos esse, mœstitia, & incuria consumi. quid multis? non multum a bestiarum uictu distare; non rotundo ore amplius loqui, non uocem, non sonum ullũ esse dulcem; sed asperum, incompositum, inconditum, ut uix percipi ab ullo possit, illorum esse sermonem. nullam liberorum charitatem, aut iucunditatem, quæ naturalis esse solet, in ipsis esse uideri; quid enim ii liberos diligant, quos suos esse nesciant; sed fac esse illorum, quos ad seruitutem nasci sciunt. Impellit eos natura ad procreandum, sed procreatos non finit à parentibus diligi tyrannorum atrocitas, qui eos cum educati sunt, abripiunt statim, & aliò abducunt. nulli illic nuptiarum ritus, sponsi, sponsæq; nomen inauditum. nulla uxor, nullus maritus, nullus auus, uix pater aliquis, aut mater aliqua dicitur; Vt olim consuetudo, et disciplina moribus recepta, ac legibus confirmata homines degenerare non sinebat, sic ea sublata, non modo à maioribus degenerarunt suis, sed tàm longe à uictu hominum ciuili distant, ut uix ex hominibus nati uideantur. Si qui sapientiores cæteris essent, cum Imp. Caroli classem aduentare audierunt, statim genibus nixi, ac supplices pro salute Imp. & eorum, qui cum eo conspirarant, atque pro incolumitate ducum, & exercitus uota suscipere, ac Deũ Opt. Max. orare; ut sibi liceret tandem è tàm graui seruitute elabi, satis se magnas luisse pœnas, si quid ipsi, aut maiores sui fraudis concepissent; accurrere ad littus, altissimos montes conscendere, ut si forte uenientem procul classem nostrorum uiderent, aut militum exultantium uictoria acclamationem audirent. Nunciatum est Turcicam classem intra portum obsideri, neque elabi posse. ò quanta lætitia exultarunt, ô quanto gaudio completi fuerunt. uix poterant occultè amplius malum suum gemere. Nõ multò post audierunt hostem, qui in portu inclusus obsidebatur, erupisse, nostros sese in fugam dedisse. nonnullas triremes captas, aliquot ui tormentorum demersas. tantùm

Græciæ deploratio.

non

non mortui conciderunt; cum ſibi nihil ſpei, quæ ſola in calamitatibus
uim habet ſolandi, reliquum eſſe animaduerterent. nõ enim metu, quid
enim hoſtem obſeſſum, ac propè fame enectum uiri fortes metuerent?
dilapſi ſunt, ſed diſsidio quodam, ac tenuiſsima ſuſpicione, cui minime
tempore tam idoneo locum dari oportuit; à qua tamen omnes longiſsi-
me aberant. ſæpe enim contingit, ut etiam ſi in culpa nemo ſit iure po-
nendus, in ſuſpicionem tamen ſine ſuo delicto alteri ueniat; quiq; ſuſpe-
cti ſunt, ipſi alios, quibus ſunt ſuſpecti, in ſuſpicionem uocent. Dũ hæc
narro, quæ ab Imp. Carolo geſta ſunt; dum explico ea, ex quibus co-
gnoſcere poſsitis, quid ipſi in tota uita fuerit propoſitum, & oſtendo à
pueritia illum talis gloriæ ſtudio inflammatum, quòd multa audiſſet,
quòd multa legiſſet, recordor magna cum uoluptate præſtantem ſummi
illius uiri uirtutem, quo magiſtro uſus eſt, qui cum ipſi præcepta tradidiſ
ſet rectè imperandi, & quaſi uias quaſdam, quæ ad gloriam ferrent, mon
ſtraſſet, tantum ſe illi debere ſummus Imp. cum iam prouecta eſſet æta-
te, fatebatur, ac palàm dictitabat, ut quòd talem uirum totius ſuæ uitę ha
buiſſet authorem, & rectorem, ob id ſe multa fortiter, & conſtanter
geſſiſſe ſæpe ſentiret; excitabant enim ipſum, & ſtimulabant monita ſa-
pientiſsimi uiri, quæ ad huc memoria retinebat; ad omne quidem uitæ
genus dicta. Pontificem Maximum audiſtis illum abſente magno con-
ſenſu omnium S. R. E. Cardinalium periculoſis illis temporib. cum
tâm multa impendebant mala, factum. Meminiſtis etiam quanto omnes
exultarent gaudio, uos alloquor, qui per ætatem tum, nam trigeſimus
quintus hic agitur annus, rerum humanarum euenta, qualia eſſent, quid-
què ageretur cognoſcere poteratis; ego mehercle & ſi tunc penè puer erã
ſentiebam tamen, quàm magna omnes eſſent alacritate, & lætitia excita-
ti ad ſpem, & expectationem non modò ſalutis, & incolumitatis, ſed
etiam ueteris dignitatis, & priſtinæ exiſtimationis retinendæ atq; augen
dæ. Alumnum ſuæ diſciplinæ habuiſſet Pontifex Imp. qui & facile, &
libenter ſua mandata exequi, Rectorem ſuæ uitæ & magiſtrum habuiſ-
ſet Imp. Pontificem, qui & ope, & conſilio ipſum iuuare potuiſſent.
Quid his duobus beatius? imò uerò, quando unquàm beatiores omnes
fuiſſent, quibus non modò illi præeſſent, ſed etiam alij, qui in aliorum
erant imperio, ac ditione, horum enim uoluntati omnes libenter paruiſ-
ſent. bellum fuiſſet communi conſenſu ab utroq; contra efferatas gentes
Chriſtiano nomini infenſas ſuſceptum? At qui non erat uerendum, ne
illorum coniunctio non modò leui ſuſpicione, ſed ne ulla quidem ui,
quàmlibet magna, dirimeretur. mandaſſet Pontifex, geſſiſſe Imp. uo-
luiſſet

Hadrianus Pont. Max. præceptor Caroli V.

fuisset Pontifex, non renuisset Imp. ita ut uellet Imperator, effecerat ante Pontifex. ut mandare iam sibi posset, quæ uellet Pontifex, effecerat Imperator. non deerat qui posset mandare; erat qui posset exequi. non deerat qui uellet exequi, erat & qui uellet mandare. uterq; etiam exequi paratus fuisset; nam mandandi ius non tàm retinere alter solus, quàm alter ipsi dare pro sua erga illum pietate, & obseruantia uoluisset. Periculum erat, credo, ne sua commoda Pontifex Imp. commodis præferret; aut Imp. pluris suam dignitatem, & salutem duceret, quàm Pontificis, à quo ita fuerat ante institutus, ut non quidem ipsius, nunquàm enim ad talem honoris gradum aspirarat, sed aliorum omnium Pontif. quicunq. fuissent, & S. R. E dignitatem plurimi faceret, atq; pro illorum salute, & incolumitate se ipsum, ac fortunas omnes deuouere paratus esset. Prouiderant hoc sanctissimi patres, qui illum suo suffragio Pontificem fecerunt, atq; cum afflictam penè, ac prostratam Remp. Christianam cernerent, ac una ratione ipsius malis se posse remedium afferre animaduerterat, si consentientem Pontificem tàm pio darent Imp. Quis autem eum eo magis consentiens reperiri poterat, quàm is, à quo fuisset educatus, et eruditus ad optimorum principum tum ueteris memoriæ, tum patris, auorum, & maiorum suorum instituta? Cogitate paulisper quàm magnæ clades, quàm multarum urbium direptiones, quantę strages ex dissensione, & dissidio eorum, qui summæ rerum postea præfuerunt, consecutæ sint. considerate quot, & qua de causa dissidia principum facta sint; non tàm multi duces in exilium eiecti, non tam multi principes aut fusi unà cum suis interijssent; aut ipsi etiam capti in potestatem hostiū uenissent; non ipsa deniq; urbs, caput religionis, & domicilium sanctitatis, non Italia tota bello uexata fuisset. quicquid enim accidit, id totum non aliunde profectum, quàm ex dissensione Pontif. & Imp. qui non tàm dissimilitudine potestatis, uterq; enim religionem tueri, & augere debet, quàm disiunctione quadam animorum grauissimè interdum inter se dissentiunt. Iā dudum laboro, ac desudo in demonstranda uobis qualis ab initio fuerit Imp. Car. disciplina, & institutio. Sed quid ego frustra laboro? cur uobis non cōmemoro, quomodo affectus è uita migrarit? ut si morti consentaneā uitam fuisse intellexeritis, de illius uirtute, non modò ex mea, aut aliorū oratione, sed ex ipsius dictis, & rebus gestis iudicare possitis. Neq; uerò ea, quæ cōmemorabo, aut à me, aut ab ullo ad laudem ipsius ficta sunt, sed ita facta, & huc perlata literis summorū uirorum, qui affuerunt. Vos V. H. eatū exēplū mihi dedistis. Vos igitur aliis esse testes potestis uerè hæc à me prædicari. atq; utinā ego is essē, qui

Mors Imper. Caroli consentanea uitæ.

E apte

Elogium totiusq; uitæ Caroli summa.

aptè possem sermone rem tantam exprimere. Octo & quinquaginta annos uixit Imp. Carolus. Imperium Rom. administrauit annis XXVIII. Regnauit in Hispania annis XXXXIIII. & si bienio post aui materni mortem è Belgis in Hispaniam est profectus. XII. autem post Philippi Regis patris sui obitum. Nec annum unum in Hispania commoratus mortuo Imp. Maximiliano paterno auo, Cæsar à Germanis appellatus est. XI. annos post Diademate à Pontifice insignitus est, & imperator dictus. biennio antequàm è uita exiret, imperio, regnisq. omnibus, ac potestate se abdicauit, iusq. omne regendi Hispaniam filio, quem unicum habuit, dedit. fratri autem Cæsari imperium Rom. consentientibus electoribus permisit. Magnum est hoc, imò uerò maximum; atq; illi commune cum paucis. expendite quæso factum hoc. nemo plenior inimicis ipso uos nostis, quorum alii, clàm exulcerati opugnare illum non audebant alij apertè oppugnabant. nec deerant, qui & si Carolo non erant infesti, felicitati tamen illius inuidebant. hiante omnes ore tantùm non poscere, ac expectare uidebantur supremum Imp. Caroli uitæ diem, quòd sperarent se eo tempore, dum res à nouo rege instruerentur; ac noui duces, noui consiliarij, noui quæstores, noui legati, noui proreges diligerentur, si præsertim subita aliqua defectio populorum existeret, occasionem se, quam optabant, ad rem bene gerendam habituros sperabant. illis non deerat animus omnia turbandi, ac miscendi; at neque Carolo deerat consilium in prouidendo, ne turbari possent. occasionem illi oblatam eam sibi putabant, at Carolus tali occasione eos priuauit. Extremus actus tanti Imp. uitæ fuit, non amissio ullius oppidi, sed adeptio amplissimi Regni; nam, præter omnium spem, ad alias orbis regiones, & prouincias, quæ tàm multæ in eius imperio erant, Britanniam adiunxit, collocata in matrimonio Regi filio suo Maria Regina; hæres enim illa post mortem fratris erat, Catharinæ sororis suæ, quæ Henrico nupserat, filia; Viuens igitur tanquàm de manu in manum Philippo filio Regi fortissimo, ac uigilantissimo omnia iura regnandi concessit, potestatemq; summam omnium rerum, quam ipse acceperat ab auo, dedit. Venit mihi, dum hæc narro. V. H. in mentem, quod ex multorum literis ad Michaelem porrem Salazarium Rectorem nestrum, uirum præstantissimum omniq; uirtute ornatissimum, & uos omnes de ea re publicè, ac priuatim scriptis cognoui, nec silentio prætereundum puto, ut & alii, qui adsunt, intelligant. Nihil tam solenne est in Hispania, quàm ut in spectante populo potestas regnandi detur ei, qui hæres in locum demortui regis successerit, ut publico, ac legittimo iure Rex factus uideatur, optimoqs

Abdicauit se imperio & regnis omnibus Imp. Carolus.

Britanniam sub Phil: Car. filij.

auspicio

auspicio quæ ad populi salutem pertinent gerere incipiat. In singulis autem urbibus, ubi publicum est consilium aliquod, feciales duo gentilitijs Regum signis, & ornamentis insigniti in suggestu stantes inter se aduersi de more alter dat, alter accipit sceptrum, ensem, & galeam ita igitur tunc fatus est prior ille. Quod faustum, fortunatumq; sit Hispaniæ uniuersæ, atq; alijs prouincijs. Imp. Carolus V. Hispan. Rex legitimo iure factus, sponte, lubentiq; animo omni se potestate abdicat, Regemq. esse iubet, ac hæredem suum instituit Philippum filium, ita ut in illũ omnia iura regnandi, possidendiq;, atq; in alios transferendi translata sint, more, legeq. ueteri, & eo iure translata, ut quæ optimo iure transferri solent priuata omnia, & publica quibus dictis sceptrum alteri tradidit, statimq. discessit. Is cum sceptro, & ense solus stans eodem loco populum allocutus est, spopونditq. nomine regis se omnia facturum, quæ ad incolumitatem populorum spectarent. Vidisses tunc in uultu uarios eorum, qui astabant, animi motus. acclamabant nouo Regi. diu nobis Deus nostrum seruet Regem Philippum, Regem fortem, bonum Regem. Viue diu Philippe Rex. Deus te seruet Philippe. Philippe Rex noster. seruator Hispaniæ. tutor Siciliæ. Liberator Indiæ, & Africæ. Britanniæ Rex, & Sardiniæ; in Italia Apuliæ, Campaniæ, Calabriæ Rex. Mediolan. Dux inclyte, inuicte, fœlix. aue. salue. Inter has, acclamationes exaudiebantur gemitus, ac suspiria quàmplurimorum, qui se priuari Carolo rege, cum præsertim adhuc uiueret, dolebant. admirabantur alij potuisse illum in animum inducere, ut quæ alij magna ui retinerent, ipse sponte deponeret, quæq. alij plurimi facerent, ipse negligeret. numquàm hoc esse auditum in Hispania, ut Reges non nisi cum sceptro, & diademate obirent extremum uitæ diem. lætabantur rursus ijdem Philippum, quem patris quàm simillimum fore non modò sperabant, sed multò ante clarissimis indicijs præuiderant, tot prouinciarum, quarum ius, & possessio ad Hispaniæ Reges pertinet, administrationem suscipere. Solymanus Turcarum Rex, qui nunc cum uno ex filijs nimiũ regnandi cupido bellum gerit periculosum sexaginta sex annos natus, si factum hoc Imp. Caroli audiuit, quid eum dixisse existimatis? Non ne ob tàm magnam Imp. Caroli felicitatem, summam uerò suam infelicitatem ipsum ingemuisse creditis? potuisse Carolum incolumi regno, ac pacatis prouincijs, cùm confectus esset ætate, in Hispaniam secedere, nõ posse se sine dolore, neq; in suo regno propter libidinem dominandi effrenatam, quæ in filijs est tutum esse. præ lætitia Carolum sæpe Deo gratias egisse, quòd filium haberet tàm moderatum, tàm sui cognoscentem,

Formula, & mos abdicationis.

Digressio.

E 2 tàm

tàm prudentem, cui omnem regendi prouincias suas omnes potestatem tutò posset tradere; propter suspicionem regni appetendi filium se necare ante aliquot annos coactum fuisse. Carolum filio suo uix persuadere potuisse, ut se uiuente regnandi ius, ac potestatem acciperet. Eat nunc immanissimus Tyrannus, atq; inter concubinarum greges nudus, & mitratus obambulet, lusitet, ac cubet, & tanquam mollis columbulus oscula diuidat quàm plurimis. habeat sibi ille auctoritatem peccandi. Noster Imperator ita se legibus solutum sciebat, ut noluerit sibi patere, neq; optarit quidem unquam, peccatorum ullius generis licentiam. ita ille domi natur, ut omnem impunitatem sibi datam putet. Imp. Carolus, quantum uellēt sapientes, quantum leges paterentur, tantum sibi permitti cēsuit. Ille turpiter uiuendo licentiam peccandi suis dedit. Carolus audaciæ & licentiæ uita honestisimè acta, magis, qua'm edictis restituit. Oderat enim luxuriem, ac magnificentiam diligebat, nequitiam uerò, & corruptelas omnes detestabatur. Cum igitur aliquando uideret in aula quendam ex suis nimis uestitu indulgentem, ac ornatu propē muliebri, statim iusit, ut ad suum, hoc est militarem uestitū rediret; nec tam ueste, qua'm uirtute insignitus esse studeret O' seuerum morum correctorem, ò censorem perpetuum. Alium etiam purpura indutum, & auro, gemmisque splendentem monuit; tu sodes uel ornatum hunc alicui largire, uel comburito. Meminerat Solymanus eodem anno Imp. factum Carolum, quo ipse regnare cœpit; quod etiam ante in fastis scriptum de familiæ suæ authore Principe Othomano, & Alberto Austrio sciebat; ut penē certum, ac fatale inter eos esse uideretur bellum; lætatus igitur esset Carolum è medio sublatum, nisi alterum Carolum, imò duos, Ferdinandum Caroli fratrem, & Philippum Regem filium ipsi succesisse audiuisset. quod immutabilem adhuc permanere antiqui illius odii continuationem, unde periculum sibi procreari posset, cerneret; Adhuc igitur in metu est propter hoc unum, qoòd imminentes sibi uidet, & infestos esse ex Austria familia Cæs. unum, Reges duos, & duces fortisimos. Atque utinam V. H. Deus Opt. Max. faxit, ut pax tandem inter duos potentisimos Reges, uti omnes sperant, & optant, concilietur; erecti quidem sunt hoc tempore omnium Christianorum animi, postquā in collocutione per summos uiros de ipsa agi cœptum est. Si pacem habebimus, statim intelliget Solymanus, quales principes, qua'm uigilantes duces, qua'm fortes reges, & Cæss. habeat Austria domus, quamq; res suæ in lubrico sint; non. n. ta'm fortitudine aut ipsius, aut suorum maiorum, qua'm nostrorum principū discordijs auctæ fuerunt, sed quamuis auctas, qua'muis exaggeratas opes illius

Luxum oderat omnem Carolus.

Commoda cō secutura ex pace & concordia Christianorum Regum.

illius una mehercle dies delebit. Recipietur Valeria, recipietur Mœsia, recipietur deniq. Pannonia uniuersa, cuius agri copia frugum, uarietate fructuum, magnitudine pastionis cæteris omnibus præstant. Posset aliquis proferre Appuliæ, & Campaniæ fertiles agros; ueru'm hi facile' antecellũt non illis modo, sed omnibus, quicunque quamlibet fructuosi, & fœcundi sunt. Quid ego uobis referam miserorum, qui eam incolunt regionẽ, mala ac miserias? & si omnino aliqui culpa non carent. Fuerant olim in harũ limitibus prouinciarum fortissimorum militu m legiones ab Augusto, & alijs Impp. collocatæ, quæ barbarorum incursiones reprimerent, nec paterentur eos ex asperrimis locis, ubi omnia frigore obrigescunt, in amenas has regiones descendere; ita enim fert natura, semperq; feret, ut homines pertæsi niuium, & algoris, regiones magis fertiles, & tepidiores exquirant. Cimbros olim ex ultima Oceani Chersoneso cum liberis, & coniugibus, in Italiam uenientes, & sedem petentes ad Athesim in prælio cecidit Marius. Alex. autem Imp. limitaneis militibus concessit, ut omnes agros, quos ipsis fuerat largitus, ut uitam commodè degerent, ad liberos transmittere possent iure optimo, si ipsi quoq; militarent; nec quandiu in limitibus Ro. steterunt legiones, barbari unquàm in prouincias Ro. irrumpere' potuerunt. sed cum à limitibus ad bellum aliò traductæ postea fuissent, statim eas regiones pulsis colonis Ro. occuparunt atq; ipsam etiam Italiam inuaserunt. Sed redeo unde sum digressus; abdicauit se Imperio, regnisq. omnibus Imp. Carolus. summo sanè consilio, tum ut quieti, & saluti suorum consuleret, tùm ut sub extremum uitæ tempus uacuus ab omni cura mortem commentari posset, id quod à Ludouico etiam Francorum Rege ante quadringentos annos eodem penè modo factum scimus; nam in cœnobio uixit quidem Carolus non mutato uestitu cum aliquot ex suis, ut ante; at ille monasticas induit uestes. uterque summus, uterque sapiens, uterque pius, & fortis, uterque filio regnum permisit, uterque mortem meditari statuit. Atque cum semel statuissent, non labare animo unquam, nec mutare sententiam uisi sunt, sed in dies læti magis in corpore studuerunt uitam imitari cœlestem. Imp. Carolus noster ita sæpe mortem commentabatur, quasi à Deo euocatus iam iam se ex hac uita, atque ex miseriis, & tenebris in cœlum, ubi perpetua lux est, & felicitas, exiturum gauderet; audire etiam quotidie solitus est sanctissimos, & doctissimos Theologos, quos secum adduxerat, de Deo, eiusque bonitate singulari, de perenni uita, de præmiis, quæ iis tribuuntur post mortem, qui se, dum in hoc corpore fuerint, à flagitiis inquinari non sunt passi, quibusque minima fuit, dum

De Pannonia

Secessio Caroli V.

dum uiuerent, contagio cum corpore, concionantes, ac differentes. disce-
Mors Imp. Caroli. bat igitur mori, omnemq; leuabat sibi paulatim molestiam; supremo
autem die ita ex corpore infusus est illius excedere animus, quasi in cœlum
statim ascenderet; quid enim inuitus exiret ex hac uita, qui ita semper ui-
xerat, ut quotidie cogitaret sibi esse moriendum? at mori molestū erat,
quòd priuari se iis bonis, quæ in uita sunt, uidebat. quibus bonis? non
à bonis, sed à malis abducit mors; an ignorabat, quot, quantaq; sint ho-
minum incommoda, quanta uarietas, & incōstantia, quàm nihil certum
unquam in rebus humanis? Fac hominem quàm beatissimum esse, in
magna nobilitate, in magnis opibus, tamen uerius dicas hominem à ma-
lis abstrahi, quàm à bonis; quàm plurimi enim sunt, qui quò omnibus
rebus instructi magis sunt, & ornati, cladem eo maiorem à fortuna inter-
dum accipiunt. dubitaret Imperator Carolus è uita exire, cùm signum
dedisset Deus? qui toties in acie stans telis hostium se se antè obiecis-
set, & ad non dubiam mortem concurrisset? Num timebat ne qua gens
inuaderet regna? at omnia munita ubiq;, & septa contra hostes. Num
defectionem suorum metuebat? at singulari illum complectebantur be-
neuolentia; nihilq; illis charius suo rege. Num seditionem? at filium re-
linquebat regem, qui succederet sibi, fortem, prudentem, iustum. Num
incursiones, & impetus ostium repentinos? at classem, & milites fortis-
simos tum pedites, tùm equites uidebat filio non defuturos. Sed mise-
rum est ante tempus mori; ne hoc quidem dici potest, satis enim ille ui-
xit, & naturæ satisfecit. Si in umbra uixisset, & ocio, laboremq; omnem
deuitasset, uiuere quidem fortasse diutius potuisset, uerùm breue hoc ui-
tæ spatium non respiciebat, æterna animo moliebatur, & uirtutis, atq;
religionis causa cùm subiret pericula, ac labores perferret, gloriam, quæ
postea consequi solet, mente concipiebat. sic igitur abijt è uita, ut gaude-
ret se tandem ex his corporis uinculis solui. C. Iulium Cæsarem, qui pri-
mus oppressa Ro. rep. Imperator ui, non lege regia, factus à populo est
audiștis olim optare solitum, ut sub ita sibi morte contingeret de medio
tolli. timebat, opinor, ne si discessus animi è corpore fieret paulatim, ni-
mis magnos perferre cogeretur dolores; in eo enim ægrotandi, & morien-
di spatio omnem miseriam collocatam esse, & celeritate ipsa omnem sen-
sum moriendi auferri multi existimant. contigit igitur illi, quod optauit.
At Carolus V. Imp. inuictus; & pius a Deo Opt. Max. subitā, ac celerē
mortem (nihil enim minus dignum homine Christiano.) deprecari nō
Votum Imp. Caroli. desistebat; optare quoque, ut quoniam multa ex corpore existunt, quæ
animum ita perturbant, ut delirare etiam cogant, minusq; sentire ea, quæ
aguntur,

aguntur, aut dicuntur, mori sine mentis deliratione, quæ ex morbo oritur; & si enim facilius abducitur à dolore, cuius mens à recta aberrat ratiocinatione, minus tamen optabile est, quia qui sentiunt animum è corpore paulatim migrantem, alta semper spectant, & de rebus cœlestibus cogitant. Assidebat igitur ipsi morienti Toletanorum Archiepiscopus uir pietate erga Deum immortalem planè admirabilis, aliiq; multi sanctissimi circumstabant Theologi quàm plurima explicantes, quæ à ueteribus de religione, & uita Christianorum beata scripta fuerunt. Constrictam ille omnia audiens tenebat Christi seruatoris nostri cruci affixi imaginē, atq; illacrymabatur, indignum se appellans, qui ab eo in cœlum reciperetur, orabat tamen, ut se participem æternæ faceret felicitatis; dumq; ta lia diceret, exiuit è uita. Qualis hic uobis tandem uidetur è uita discessus? non ne consentiens consilijs, dictis, factisq. illius omnibus? non ne Imp. Christiano dignus? Nec uerò tunc primum ille in huiusmodi cogitatione cæpit uersari, sed multò ante, nam ea ipsa de causa è Belgico, ubi filium regem cum exercitu omni, & ducibus reliquit non quidem tum bello gerendo occupatum, sed inducijs cum hoste factis quiescentē, & agentem, quæ nouorum populorum animis conciliandis, regnoq; stabiliendo apta esse uidebantur in Hispaniam est profectus. Reflabant uenti, expectabat idoneam tempestatem. sedatis iam fluctibus, cum nautæ conscendendi tempus esse dicerent, uocatis ad se duabus Reginis sororibus, quas in Hispaniam adducere cogitarat, ut postquàm illæ reges maritos ambæ sine liberis amiserant, secum in tranquillum, & tutum portum uenirent, discedere se iam uelle dixit. parebant illæ libentissimē fratri. sed cum pestis in maritimis locis in dies magis inualescere diceretur, censabant aliquantisper supersedendum. At Cæsar, qui commentari mortem iam dudum cæperat, cogitabatq; in Hispaniam. Eundum, inquit, nec prætermittenda tam bona tempestas. Pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum ullum nunquam attigit. O' uocem prædicandam, & dignam fortissimo Imp. Ad Vespasianum Augustum, cum olim quidam captus cruribus, & morbo afflictus diuturno perreptare per mediā turbam circūstantium, amicorum, & satellitum conaretur, miratus Imp. percunctari unum ex suis iussit, ecquid uellet, isque respondit, cupere se togæ Imperatoriæ limbum attingere, sperareq;, si id sibi licuisset, se posse statim conualescere. suadebant amici Vespasiano, ut indulgeret inopi, resistere ille primò cum cœpisset illorum precibus, quòd in discrimē maiestas Imperatoria adduci uideretur. postea permisit; statim illū conualuisse ueteres narrant, idq; sanctitati Cæss. tribuunt. Ego ut certò scio

Discessus Caroli è Belgico, ut secederet in Hispaniam.

Sanctitas Imperatorum.

tunc

tunc dæmonum peruersitate, & fallacia id factum, ita etiam facile adducor ad credẽdum; postquam, reiecta superstitione ueterum omni, Deum uerum colere cæpimus, eorum, qui Deo chari sunt, maximaq. ob id inter homines dignitate præditi censentur, & proxime ad cælestem accedunt amplitudinem, corpora esse sacrosancta, nec ab ullo lædi posse, aut, labe, & contagione aliqua infici; Stabat aliquando, cum ante aliquot annos bellum cum aliquib. Germaniæ principibus pro religione gereret, in acie Imp. Carolus intra uallum, & stationes armatus, exiturus ad præliũ cum copijs aduersus hostes. Illi ex proximo colle, qui castris imminebat, magna balistarum, & aliorum tormentorum ui Cæsarem repellere, ac deterrere conati sunt; cumq; alij suaderent, ut exercitum longius à colle abduceret, alij de ipsius salute magis solliciti orarent, ne in prima staret acie; illis quidem dicitur respondisse; canes, qui latrarent non esse extimescendos, his uerò, ne metuerent; se enim præsidio Dei satis esse tutum. nec multò post infecta re hostes discedere coacti sunt. Sed redeo ad institutum sermonem. Non multis diebus post, cum uentos habuisset secundos; ad portum, qui est ad Laredum oppidum in Cantabria, appulit.

In Hispaniam ad Laredum appulit Carolus.

Præsto ibi affuerunt Carolo lectissimi quiq; Hispaniæ principes; inter quos primum tenebat locum Contestabilis (sic uocant) magnus. Carolus ubi primum è naui descendens terram pede tetigit; prostratus ipsam exosculatus est; & salue, inquit, exoptatissima mihi mater nudus ex utero matris meæ exiui, nudus ad te tanquàm ad alteram matrem redeo. tibi quod unum possum, pro tàm multis in me meritis corpusculum hoc, & ossa dedo, ac dedico. mox ad Christi imaginem, quam semper secum gestabat, eo. n. signo aduersus hostes utens semper pugnarat, oculos attollens, gratias ipsi egit flens, quòd sibi in eam prouinciam per eius bonitatem reuerti sub ultimum uitæ tempus licuisset, quæ omnium sibi esset charissima, & per quam ad maxima imperia, & honoris gradus peruenisset; cuiq. omnes suos triumphos, ac uictorias secundum Deum acceptas referret. resalutatis deinde Hispaniæ principibus, qui ad ipsum officij causa uenerant; lectica in eam urbem uectus est, ubi nepos puer Carolus commorabatur. metropolis illa est totius Hispaniæ; domicilium Regum in ualle Oletana, unde & nomen habet. biduo cum puero collocutus, post quàm illum ad uirtutem, & gloriam, ad quam sponte satis, tùm ipsius exemplo aui, & patris; quos uidit, tùm omniũ suorum maiorum, quorum res gestas audierat ante, exemplo erat incitatus, lenissima, grauiq; hortatione impulit; inflammari ille uisus est mirum in modum desiderio laudis, cùm auum tàm seuerè, tàm grauiter loquentem audiret, & quasi

Nepotem alloquitur Carolus V.

Herculem

Herculem alterum post exhaustos labores uirtutis uiam monstrantem, quam ipse an e triuisset, intueretur. digressus ab eo statim in eam, quam sibi delegerat multò ante ad commentandam mortem, & requietem, contendit uallem, quæ est in Lusitaniæ finibus, ubi summa cœli est temperantia, & amœnitas collium, fluminis, & fontium. Illic Sertorius olim Rom. Dux fortissimus, cùm in Hispania res gereret, post multas uictorias, & si parum iustum susceperat bellum, occubuit. fortitudine illi Carolus V. & uigilantia persimilis, natura, & morib. erat dissimilis; quare & si consilia Sertorij, & mores improbabat, animi tamen magnitudinem, constantiam, & singularem uirtutem admirabatur, iucundaq; erat illi tanti uiri memoria, & rerum gestarum commemoratio. quid uero magis decuit Cæsarem, quàm eodem in loco mori, ubi olim fortissimus uir occubuerat? Cœnobium nunc in ea ualle est, in quo lectissimi homines religioni dediti castè, pieq; uitam in tranquillitate degunt. nomenq; locus habet à Diuo Iusto, quem suæ disciplinæ auspicem, & ueluti ducem quendam illi sibi colendum, & imitandum proposuerunt. Iustus igitur Imp. in diui Iusti cœnobio annum unum commoratus obijt. Iustitiæ, dum uixit, quæ una columen est regnorum, colens fuit, eamq; ab omnibus suis coli in primis uoluit; nihilq; in ore sæpius habebat, quàm iustitiam, quòd eam esse sciret gloriæ, & famæ omnium regum, ac principum; quibus Deus administrationem aliquam publicam dedisset, fundamentum firmissimum, nihilq. ipsi Deo, cùm ipse iustissimus sit, acceptius homine iusto; si igitur implorant opem iusti Reges, attendit Deus, clamantiumq; uocem statim exaudit, neq; unquam ab illis oculos deijcit. Iam effeci V.H. quod eram pollicitus; demonstraui enim, quo modo affectus è uita exierit Imp. Carolus, quæ omnia, si quis cum anteacta illius uita conferre uoluerit, facilè mortem Cæsaris uitæ consentientem esse perspiciet, neq; aut illius actiones ab appetitionibus, aut appetitiones à sermone, aut sermonem à uirtute discrepare. Id & si ante ostendere conatus sum, conabor tamen adhuc exquisitè magis explicare, nullumq; Regem aut Imp. unquàm eo fortunatiorem fuisse firmissimis rationibus comprobare, ut neq; ipsum sibi, neq; fortunam illi etiam defuisse cognoscatis. Atq; equidem peropportunum est, ut de ea re primum loquar, de qua incidit proximè mentio. Iustum igitur fuisse Carolum Imp. quis neget? Liberarum ciuitatum tum in Germania, tùm in Italia, quarum erat ille tutor, homines, qui sæpe nouas sanciebant leges, quibus suos à Reip. administratione propter seditiones exortas excluderent; monere solebat, & orare ne quid temerè mutarent,

Quò secesserit Carolus.

ἔπαινος hic incipit contexi.

De Iustitia Imp. Caroli.

legibus nouis non tam seruari quam perdi Rep. oēm cœtū si concorditer sit uiuendum, æqualitate constare debere. Legatorum & præfectorum opera tum in bello, & urbibus regendis, tûm apud principes, eorum est usus, qui essent quam optimi, & iustissimi. Quàm multos à rebus regendis semouit, si quid parum temperatè, aut fortiter egissent? non est necesse, ut singulos enumerare uelim, uos enim ipsi potestis meminisse, etiam me tacente; nec uerò reticerem, si inuidiosum non esset percensere, sed historici id fortasse non silebunt, quòd liberior eorum est oratio, maiorque ipsis omnia dicendi est facta potestas. Quid de eo dicam, qui prætor in Insubrum regione urbem unam regebat, quòd pecunia corruptus dissolutè iudicasset, nec uerò multò post alium libidinosis amoribus deditum, quòd arderet honestam fœminam, & in uincula eius maritum, quem illa magnopere diligebat, falso crimine accusatum coniecisset spe illius pelliciendæ, re cognita statim securi percuti iussisse; Quid? non ne in Hispania ante XXV. annos cum ludi fierent in magna celebritate, & frequentia, conareturq; per mediam hominum multitudinem Dux nobilitate insignis ad Cæsarem penetrare, ut illi de more assideret, & in magno, ut fit, tumultu satellitum præfectus, cui mandarat Cæsar, ut ne turbam aliquam, & rixam fieri pateretur, illum manu repulisset, molesteq; ferret Dux, iniuriam sibi fieri existimans; atq; ideo plagam illi stricto ense in uultum inflixisset magnam; quam Cæsari flens statim ostendit (multum autem sanguinis ex ea fluebat) commiseratus hominem simul, & indignatus, eius quòd non esset habita ratio, sudarium illi suum dedit, ut uulnus abstergeret, atq; in carcerem ire Ducem, qui plagam inflixerat, statim iussit? Fidem uerò, quæ iustitiæ fundamentum est, quis nescit quantum coluerit, non in fœderibus modò, sed etiam in tutelis, rebus creditis, in mandatis, ac fiducijs? ecquando ullum fregit fœdus? ecquando iusiurandum uiolauit? ecquando mercatorum societatem ullam fraudauit? ecquando socios reges, aut populos deseruit? Testis est Allobrogum princeps, cuius urbes recipere tam magno conatu, & sumptu semper studuit. Testes in Italia etiam Genuenses, quos, ut Corsicam negligentia, & perfidia quorundam, qui arces tenebant, amissam recuperarent, exercitu, classe, omniq; genere subsidij iuuit. Iam uerò Populoniæ, Ilnæq; insulæ, quæ in mari Tyrrheno est, dominum, qui ipsi in tutelam erat à patre traditus, quoties ab impetu Turcarum, & aliorum prædonum ex Africa uenientium tutatus est? Quanto amore Lucenses complexus fuerit,

De fide Caroli V.

rit, omniaq; illis benignè, ac prolixè sit pollicitus omnes sciunt, ipsi etiã palàm dictitant ac luctu in quo sunt in præsentia,atq; dolore, quem maximum ex Caroli Imp. tutoris sui ceperunt testantur; Quid? Cosmus Florentiæ Dux potentissimus, & optimus qui in eius semper fuit tutela, aduersis temporibus, cum in Hetruria bellum esset conflatum graue, ac periculosum; non ne fidem Caroli summam expertus est? nunquam enim à curatione eorum, qui sibi crediti, & commendati fuissent, discessit. Proditoribus(quia fidem in primis colendam existimabat)qui legum iurisiurandi, æquitatisq. totius ius uiolant, usq; adeo erat infestus,ut non modò eos, qui aduersus se aliquid molirentur, sed etiam qui operam sibi deferrent suam in aliorum urbibus prodendis, ulcisci studeret. Ecquando per proditionem auditum est Imp. Carolum urbem ullam occupasse? Hominem,qui pictas ad ipsum non ante multos annos omnium Italiæ principum arces attulerat, rationemq; ipsarum expugnandarum longa satis oratione demonstrare conatus fuerat, uinctum ad eos duci iussit, quorum in primis res agebatur; ò fidem miram, ò incredibilem iustitiã; Quàm multis principibus arces reddidit? uti erat pollicitus,si in fide permansissent, & liberos suscepissent? quàm multis libertatem dedit? quàm multis regna restituit, atq; eiectos in auitum Imperium reduxit? beneficio igitur illius nunc libertatem, qua nihil dulcius, retinent Genuenses. regnat Muleasses in Africa; in ocio deniq; uiuunt omnes (non enim necesse est, ut singulos numerem) qui ante spoliari, ac uexari ad ipsum confugerant. nullam enim ille sociorum uexationem, & direptionem æquo animo ferendam censuit. Lotharingiæ Ducem cum eiectum audiuit, tulit scilicet; non tulit; Sed cùm Villaccum in Charintiam cedens furori paulisper hostium uenisset, erat enim tunc imparatus ab exercitu, sexaginta ferè millibus ex Italia, & Germania celeriter conuocatis statim urbem oppugnare cæpit, ac nisi hyems assiduis imbribus, & frigore acri magno fuisset illi impedimento; iniuriam pupillo duci allatam ultus esset. Arietum naturam dixit tunc fortissimus Imp. se imitari uelle, quorum imaginem auratam gestare solitus erat, ij enim cum magna ui aliquid percussuri sunt, retrorsum paulisper cedunt. non autem id quasi retrusi, si quis illorum benè norit ingenium, faciunt, sed ut uires colligant, & maiore in obnitentem aduersarium impetu ferantur. Sicuti reddere conabatur Carolus Imp. ea, quæ ui erepta suis erant, ita non temerè alicui eripere, aut statum immutare rerum, & ordinem: sed liberas ciuitates fouere & instituta earum tueri; si quæ autem antiquis dominis parerent, eas relinquere in sua ueteri consuetudine solebat, si præsertim dominos

F 2 haberent

haberent iustos, ac pios. Quòd si qui populos sibi ab eo in tutelam datos expilassent, querelas de iniuriis ipsorum libenter audiebat; multos igitur tutelis priuauit; multos mulctauit tantum. Hoc totum iustitiæ est, illud fidei. Alexandro Medices, quem Florentinorum Reip ducem fecerat, Margaritam Austriam filiam suam desponderat; non multo autem post mortuo Clemente VII. Pont. Max. (erat enim Alexander fratris ipsius filius) cum ille à Tunetana expeditione rediens Neapolim appulisset, exules, qui plurimi erant, & nobilissimi, supplices oratione longa habita ad Cæsarem dirimere affinitatem conati sunt, & deiicere à dignitate Alexandrum; sed permansit in sua sententia Carolus, reiectisq; exulibus Alexandro Duci Flor. filiam, sicuti ante statuerat, in matrimonium collocauit. Quid? non ne illud iustitiæ maximum signum? uocari se in ius passus est, si quis enim pecuniam ab eo sibi deberi diceret, procuratores fisci ut se sisterent in iudicio sanxit, atque iudicibus imperauit, ut sanctè, casteq; iudicarent. mercatoribus centesimas persoluit, ac ne teruntium quidem in tabulis expensi reliquit, sed hæc fortasse pusilla; illa longe maiora. Attendite quæso. Henricus Britannorum Rex fœminæ amore ardens nobilis, cum eam pellicere alter non posset, adiungere sibi uxorem statuit. remisit igitur statim nuncium Reginæ Augustæ Caroli Imp. sorori lectissimæ, ac modestissimæ fœminæ, ex qua iam filiam susceperat, per literasq; & legatos cum Pont. Max. egit id sibi ut liceret, aliis etiam id Regibus ante licuisse dictitans liberorum, & heredum causa. Iam satis constabat præ animi impotentia, & libidine id Regem moliri. ex uultu, ex oculis, ex sermone, & appetitione nimia res satis cognosci poterat. Conquerebatur Regina sibi iniuriam fieri. Quid multis Legatus cũ summa potestate, rem ut cognosceret, in Britanniam missus est à Pont. Max. Laurentius Campeggius S. R. E. Cardinalis uir clarissimus, ac nobiliss. ciuilis, pontificiiq; iuris peritiss. cuius quidem integritas, sapientia, & doctrina tàm excellens fuit, ut eò ferè uno tunc resp. Christiana tota niti uideretur. pro tribunali igitur ad ipsum sedentem Rex prior uerba fecit, exposuitq; causas omnes suæ postulationis. titubabat tertio quoque uerbo, & expallescebat. Catherina Regina subsecuta est sermone placido, uerecundo, graui, ut facilè Caroli V. Imp. sororem agnosceres; cum neque prolem defuturam Campeggius Regi uideret, neque ullam aliam causam, quam ille prætexebat, probaret, coniugium ratum debere esse iudicauit, neque minis ab officio deterreri, neq; precio, quod ingens pollicebatur, corrumpi unquam potuit. O constantiam uiri incredibilem, ò singularem prudentiam. Cogitabat quæ sibi ab irato Rege, nec irato

tantum,

tantum, sed etiam amore capto impenderent pericula, sed mori millies in animum induxit, quam S. R. E. ritus, & instituta non tueri. Quid Cæsar? armis cũ posset Regẽ ulcisci, maluit tamen iudicio rem experiri. Hęc sunt indicia clariss. V. H. iustitiæ Cæsaris. Quid? non ne etiã ipse arbiter inter maximos principes magnarum rerũ cõstitutus eorum controuersiã summa cum æquitate iudicauit? multi meminisse possunt in hac ipsa urbe cũ esset unà cũ Pont. Max. de duarum ciuitate possesione, quæ propius absunt à nobis in uia Aemilia, litem inter Alphonsum Ferr. Ducem fortiss. & ipsum Pont. ortam ita sustulisse, ut placatis animis pax semper postea inter eos fuerit. Longum erit, si omnia recensere uoluero; quare hic de fide, & iustitia summi huius Imp. finem dicendi facio; si prius nunnulla dixero, quæ ut memoria uestra tenere uelitis etiã atq; etiam oro. utilia. n. erunt uobis ad uitam instituẽdã, etiam accõmodata ad omnia intelligenda, quæ ante gesta sunt, ex quibus postea quid consecutum sit cernere possitis. Sub Impp. post Carolũ magnũ, & eius filios, ac nepotes uarius fuit, ac multiplex in Italia ciuitatũ status, mitto Reges, qui tũc appellati fuere; postea eum dilabi res cæperunt, aliquando eædem suis legibus usæ sunt, & libertatem retinuerunt, aliquando per seditiones, aut etiam per uim à tyrannis subactæ, cum enim Resp. nulla esset recto ordine constituta, quales quales in urbibus factiones extitissent, quæ aut Imper. nomine appellarentur, eiusq. præsidio tutas se esse profiterentur, aut aliorũ, qui Impp. aduersarentur; ita etiam tiranni urbium facti, qui Impp. maiestati se deuouerant: qualem Ecelinum Patauij scitis fuisse: quales Canes scaligeri Veronæ fuerunt: qualis Castrucius Lucæ, Iacobus Agnellus Pisis. Gibellinorum etiam & Velphorũ nomina crebò audistis, quæ iam ferè de medio sublata sunt. Impp. qui tũ rerũ potiebantur; ut ut erant erga hunc uel illum animati, ita illum uel dominatu priuabant, uel in tutelam recipiebãt suam. Carolus IIII. Imp. Ioannis Boem. Regis & Imp. filius, quem unum ante Carolũ nostrũ V. & post ueterum memoriã, qui floruerunt, ausim maximum, fortissimum, & uigilantissimum appellare ante cẽtum & L. annos, paulò plus minusuẽ, in Italiam cum uenisset, alijs urbibus libertatem, pulsis tyrannis, restituit, in alijs etiam retrarchas, ac dominos, quos sacri Ro. Imperij socios appellauit, constituit, ut cuiq; opportunũ, & utile uidebatur. Consecuta sunt postea bella; alijq; Reges, cum Impp. aut alijs rebus occupati, aut nõ tã potentes essent qui pro suo arbitratu res turbarunt: ut in tãta tamẽ perturbatione rerum potuit, satis obseruatum est, & memoriæ traditum; & quãuis ẽt sæpe tabularia incensa sunt publica, extãt tamẽ adhuc uetusta monumẽta, in quibus pspicitur, quo quæq;

Digressio de statu Italiæ ante CC. annos.

ciuitas

ciuitas iure sit, à quo possessa fuerit, quo fœdere, qua societate, in cuiusq; tutela esse debeat. Carolus V, ubi primùm Imperator factus est, antequam in Italiam uenisset (scitis quo tunc illa esset statu) bellum susci

Iura imperij tueri conatus est Carolus.

pere coactus est aduersus eos, qui Imperii maiestatem imminuere conabantur, & urbes occupare studuit, quæ in sua tutela erant, atque ut nimium uetusta iura, quæ aut bello essent abolita, aut diuturno tempore obliterata non quæsiuit; ita noua, & recentia non neglexit: Liberas ciuitates iuuit, amauit, & tutatus est; si in fide permanerent, præmiis etiam affecit; si discordiis, & odiis intestinis agitarentur, componere studuit, infestas autem sibi coercere conatus est. Quid enim ageret opt. ac fortissimus Imperator? sibi negotium exhiberi ab importunissimis, & seditiosis hominibus pateretur? ultus est igitur, & pennas ipsis recidit, ne sibi ad magnas res gerendas, & bellum suscipiendum contra Turcarum Regem, de quo semper cogitabat, essent impedimento. Duos ipse maximos Duces, ac potentissimos in medio Italiæ constituit, qui uerè duo totius Italiæ ornamenta, & Imp. Rom. firmamenta dici possunt; quocunque igitur te uerteris, omnia pacata, omnia tranquilla, omnia tuta.

Status Italiæ sub Carolo V.

Si mehercle Italia loqui possit, & illi detur optio, atque ab ea aliquis requirat, malit ne in hoc esse statu, an in alio quouis; respondeat se præsenti rerum statu maximè delectari. Ad alpes (non loquor nunc de non pacata) Caroli Imp. filius Rex urbes tenet, lateq; imperat; in medio Italiæ domicilium, ac sedem habet Pontifex maximus, Sanctaq; R. E. ut unde olim leges profectæ, quæ uniuerso orbi rectè uiuendi normā præscriberent, ita & nunc in eadem urbe, sicuti olim Imperii, sit religionis locus, unde ritus, instituta, cærimoniæq; omnes, quę ad religionem spectant, petantur. Ad mare usque quod in Siciliam, & Græciam uergit, regnum peramplum est, in quo munitissimæ urbes sunt, quæ in ditione Caroli fuerunt, nunc ad eiusdem filium translatæ; mediam excipiunt, hæc ueluti munimenta quædam, Romanæ urbis, & S. R. E. ditionem, ut ab omni parte tuta sit; reliquum Italiæ obtinent tum ad superum, tum ad inferum mare, tum cis, tum ultra Apenninum potentissimi, & optimi duces, qui partim in Imp. partim in Pont. maximi tutela sunt. Atque ut ne quid ad summum decus desit, illic Resp. suis utens legibus; mari, terraq; potens; omnium, quotquot unquam fuerunt, optimè instituta floret, uigetq;, quæ claustra tum montium, tum superi maris, quà barbari peruadere soliti erant, tenet. Ad inferum item altera Resp. est tum opibus, tum dignitate, & nobilitate ciuium præstans, quæ & ipsa piratas procul arcet, & immanissimos hostes repellit; ut alias silentio prætercam ciuitates,

uitates, quæ sua libertate fruuntur, & si longius à mari absunt. coniunctum est Imperium cum Ecclesia Rom. illi tum cum Ecclesia, tum cum Imperio coniuncti; si qui coniuncti non sunt uinculo aliquo; & iure tutelæ: at uoluntate tamen consociati sunt, & libenti animo religionē tuentur. Quòd si, quod reliquum est, in locis quibusdam nunc malum sanari posset, & quæ adhuc malè pacatæ sunt (& si paucæ sunt) ciuitates ab armis discedant, nihil nobis posthac beatius fuerit. Hactenus de iustitia, & fide Cæsaris. De clementia nunc pauca dicam, quæ omnium consensu propria Caroli V. fuisse dicitur, nec magis in C. Iulio Imp. olim eluce scebat, quàm in hoc nostro. ueniam ille dedit, & incolumes dimisit, quos si supplicio affecisset, crudelis habitus fuisset; Carolus iis, quos si trucidasset, iustus tamen dici potuisset. ciues illi erant Ro. qui libertatem, & rem publicam tuebantur suam: hi Caroli oppugnabant dignitatem contra omne ius: poterant illi, nec ulla impediebantur pactione; hi non poterant, si societatis, & tutelæ ius seruare uellent, arma contra Carolum sumere: illi iustum gerebant bellum, hi iniustum. illis non ignosceret Iulius, quorum Remp. occupasset? Carolus iis, qui à sacro Rom. Imperio defecerunt, ignouit, ignouit ita quidem, ut uitam, & caput illorum amicis deprecantibus condonarit; nam tetrarchia omnino mulctauit, & iure suffragii. Non fuisset hoc clementiæ, sed summæ lentitudinis, quam ne in priuato quidem homine satis probare solemus. Eripuit Cleuēsium Duci partem ditionis; cur non eriperet ei, qui à se defecerat, & se cum hoste coniunxerat? eripuit tetrarchiam, & ius suffragii Saxonum Duci Federico, et tradidit Mauritio, & Augusto, qui fidem non uiolarant. Prostrauit se ad illius pedes Lantgrauius Hesſiæ dominus; liberum dimisit Cæsar, urbesq; restituit; liberis ciuitatibus, quæ et ipsæ conspirarant cum illis, uix mulctam irrogauit, quam ne irrogasset quidem, si sumptum in exercitum facere ipsum non coegissent. Gandauensibus non remisit iniuriam. quid? non plecteret eos, qui authores defectionis fuissent? suum regem, in urbe sua natum, et educatum illi non amarent? sed quid dixi? non amarent, proderent; et perdere studerent? Ioannem Padiliam securi percuti iusſit, qui populos in Hispania concitare contra se, et ueluti alter Catilina, comparato exercitu acie decertare ausus est, ut regnum occuparet. at populis condonauit crimen omne. Hoc clementiæ fuit, illud seueritatis, et iustitiæ. ignosceret Padiliæ? clemens diceretur, si ignouisset? imò parum pius. Qui in Italia res turbare, ac miscere conati sunt, non ulcisceretur? non plecteret? quas urbes et regiones tàm magno sumptu, tàm immenso labore pacatas reddiderat, in illis rursus, ut

Clementia Caroli.

seditionem

seditionem concitarent? Reges, et Imperatores ueteris memoriæ quàm plurimi multis caput præcidi, multis frangi guttur, et crura temerè iusserunt, et quàmuis deprecantibus multis, sæpe responderunt. Moriatur. ò immanitatem summam, o' nefariam uocem. Carolus noster V. H. non modo temerè in aliquem animaduertit, sed ne ominis quidem causa ullum unquam supplicium deprecantem, aut etiam præmia postulantem à se dimisit. Non enim iracundus erat, nec ullus in eo fuit unquam ardor animi, ne contra hostes quidem dum pugnaret. imo' cum alacritate sæpe ad certamen progressus est, nihilq; rabiosè unquam contra eos, à quibus fuerat læsus, protulit; intelligebat enim se pro Imperio et religione, non pro priuata iniuria bella suscepisse; Ne hostem quidem in prœlio unquam truculenter aspexisse multos ego ipse duces, qui illius auspicio, et ductu militarunt, narrantes audiui. Cum apud Germanos principes in comitiis legatos hostium sibi obtrectasse intellexisset, leniter, et quietè respondit. Si Carolus is esset, qui uos huc legatos misit, talia ageret, si is Carolus esset, talia non diceret. Imperium illius in milites seuerum quidem fuit, at sine acerbitate. Verè exercitus illius appellari possunt, tanta enim militum, quorum opera usus est, fuit exercitatio in laboribus ferendis, et contemnenda morte, ut in prœliis ad uulnera animo essent parato, neque magnis itineribus, neque cursu defatigarentur. pati famem, pati sitim, pati frigora, non quidem Italiæ, aut Africæ, sed Germaniæ, et eius, quæ ultra Canubium est, hyemalem uim poterant. Lucullum Ro. ducem fortissimum accepimus, cum aduersus Mithridatem in Ponto gereret bellum, dum nix è cœlo caderet crebra, fugientes hostes insectatum detecto capite. Non minore alacritate fuit Cæsar Carolus in Germania, nam totum illud bellum hyeme gestum, et confectum fuit. Ferre non arma tantum Caroli Imp. milites didicerant, sed etiam uallum, præter gladium, galeam, et hastam; Quis igitur miretur potuisse ipsum quàmlibet maximas hostium copias profligare, et urbes expugnare, cum tali sit usus milite? In tyronibus, qui inexercitati esse solent primo', si non erat robur ad pugnandum, et constantia, erat uelocitas ad persequendum hostem fugientem; si stare in acie non possent, at gerere arma aptè, et cibariis ferendis plus dimidiati mensis interdum erant assueti; intra annum et aspicere hostem, ac poscere prœlium, acerrimeq; decertare discebant. Quid? quo'd Germanos, Hispanos, Italos, aliosq; tàm diuersarum, et linguarum, et rationum milites tam unanimes sub signis habuit? qua'm magnum, qua'm laudabile hoc fuisse putatis? Nulla unquã in castris seditio, nulla in stationib. nulla

Disciplina militaris Imp. Caroli.

in limitib. & præſidijs orta Sedare ipſas magnæ uirtutis cenſetur; at multò maior ei laus tribui debet, qui ne oriantur, aut ab aliquo facinoroſo, & turbulento homine fiant multò ante proſpicere & efficere poteſt. peuē exercitum olim perdidit Lucullus fortiſs. alio qui Dux ob ſeditionem a Clodio excitatam. Quid? Germanicus? reſtinxit eam quidem, ſed cum ingenti periculo in hoſtium regione nondum pacata facta fuerat. blandē ſuos Carolus alloqui, & hortari, etiam cum in acie ſtarent, nomine interdum multos compellare ſolitus eſt: præmia non dicam quot, & quàm magna ipſis poſt prælium perſoluerit; Vos ipſi noſtis, qui multos etiam in Italia, & Hiſpania locupletatos uidiſtis. liberalitate enim ita ſemper erga ſuos; & cùm locupletare non eſſet opus, qui opibus ipſi abundabāt, quod reliquum erat, ornare, ſi qui autem ante ornamenta habebant, eorum decora gentilitia plurimis monimentis, & inſignibus augere, quæ non ab alio tradi poſſunt quàm ab Impp. libenter pro illorum ſumma uirtute, & meritis erga ſe, Rom. q; imperium ſtuduit; Veniant uobis in mentem in Italia qui ſunt Doriæ, Auali, Medices, Columnij, Conſalui Madrutij, Farneſij, Sfortiæ, Pij, longum eſt V. H. omnes enumerare; quæſo ne ſit ullus, qui ſe à me præteritum conqueratur. non enim id nunc ſuſcepi onus, ut de omnibus dicere uelim; Te, quem præſentem intueor Federice Gonzaga princeps illuſtriſsime, tuoſq. omnes, quorum imaginem in te cernimus, ſine ſcelere preterire non poſſum. Quem magis dilexit Imp. Carolus? cui plus tribuit? cuius opera libentius eſt uſus, quàm patris tui, & patrui fortiſsimorum Ducum? quorum alter exercitu, commeatu, armis, tormentis, alijsq. omnib. rebus illum ſemper iuuit, alter etiam eius auſpicio Siciliàm multos annos, & Inſubrum urbes rexit, bella quàmplurima geſſit tum in Italia, tùm in Germania, & Gallia; munitiſsimas urbes expugnauit, multas ab obſidione hoſtium liberauit, ſocius deniq; omnium laborum, & conſiliorum particeps Cæſari ſemper aſtitit. Vterq; igitur illi ob ſingularem uirtutem chariſsimus fuit, nec ullum eſt ornamentum, aut dignitatis genus, quod in eos non contulerit, patrem tuum Ducem appellauit, patruum multarum urbium principem conſtituit. Atque ut ne quid ad ſummam inter uos coniunctionem deeſſet, ut frater tuus illuſtriſsimus Dux poſt mortem patris, Ferdinandi Cæſaris fratris ſui filiam in matrimonio haberet ſponte effecit. Fuit igitur non modo ſocietatis, ac tutelæ iure, ſed etiam affinitate Gonzagia familia ueſtra cum Auſtria coniuncta; ſed plura non dicam in præſentia, tum quia omnibus notiſsima ſunt, tum quia prolixius narrari debent. Populorum uero ſubiectorum tantus fuit erga Imp. Carolum amor, quanta il-

Liberalitas Imp. Caroli.

Populi subiecti quali animo erga Car. lius erga ipsos caritas. Caroli igitur dicta omnes, qui in illius erant ditione, leges putabant esse: qualia autem ipso audiente dicebant, talia etiam, procul ab eo dum erant, cogitabant; atq; reipsa magis, quàm uerbis beneuolos, ac gratos se ostendebant. Nullus iis inuidebat, qui ab eo ad magnos honores fuerant euecti, sed æmulari illos studebant, ut etiam ipsi *Parsimonia Imp. Caroli.* eueherentur. Quacunq. iter per prouincias faciebat, omnibus charus, omnibus expectatus ueniebat: erga hospites gratus, munera libentius dabat, quàm accipiebat. pompam & ludos ut contemnebat, ita non nimiũ appetebat. spectauit igitur libens, at non inuitus discessit. ut fierent, non magnopere laborauit, ne fierent non impediuit. si non fierent, non accusauit; si fierent, laudauit; Cùm per Italiam, & Italiæ urbes iter faceret, pompa, & multitudine sibi obuiam euntium, & acclamantium non minus delectatus est, quàm ipsi eius temperantia, & modestia singulari. *Magnificẽtia Imp. Caroli.* Ludos ipse apparauit interdum magnificentissimos; & quidem in Hispania, cum lætitia omnes exultarent ob natum filium, qui dies uerè salutaris uniuersæ fuit Hispaniæ. Cùmq; in Italia, Sardinia, & Sicilia ludi facti essent eadem de causa magno sumptu, per literas omnibus gratias egit, pollicitusq. est se operam daturum, ut regem optimum ipsis relinqueret. Ludos amplissimos, ac paratissimos uos ipsi in hac urbe ab eo factos scitis, quos etiam ipse coronatus spectauit; Neapolim cum rediit, postquàm Aenobarbum piratam regno Africæ expulerat, quàm libens ludorum dies festos celebrauit, inscriptionesq. legit in arcubus extructis?
,, Magno Augusto Carolo V. Principi Maximo, Imp. fortissimo, Regi
,, optimo. Conseruatori nostro. quàm paulòpost Romæ, Florentiæ, & Lucæ, ac Mantuæ, Fundatori quietis, Liberatori urbis. Tutori religio-
,, gionis. Pio. felici, & inuicto. Carolo V. Imp. fortissimo. ut prætercam
,, Mediolanensium gratulationes, & acclamationes, quo die primum in eorum urbem uenit post Francisci Sfortiæ Ducis mortem, & quam ipse pacatam reddiderat, regionem, fusis, ac cæsis hostibus, administrare cæpit; & Genuensium, quibus urbem à se captam non modò restituit, sed *Voluptates Imp. Caroli* etiam liberos esse, & suis legibus uiuere permisit. Voluptates autem non ex fictis fabulis, non ex cantilenis, non ex scurrarum dictis quæsiuit; colloquebatur cum suis intimis; reuocabat in memoriam, quid esset eo die actum; euenta bellorum, quæ fortiter quisq; gessisset; qua duces essent fortitudine, & fide; quot legiones ueteranorum in Italia essent commemorari sibi uolebat. Si alios adumbrata opinio gloriæ tanto gaudio complet, quantam Cæsaris lætitiam, & uoluptatem fuisse putatis cum utriusq. aui spectaret triumphos, auiæ etiam Isabellæ audiret uictorias, quo animo

mo illum fuisse creditis? cum tam magni applausus ipsi darentur in Hispaniam eunti post sedatos Padiliæ nefarij hominis tumultus? cum rursus in Germaniam uenit, & Imperator est factus? Quæ uoluptas cum illa Cæsaris nostri conferri potest? quam cepit planè incredibilem, cum ex Africa in Italiam uenit uicto immanissimo tyranno, & receptis urbibus, quas per uim occuparat, eiecto Muleasse? Quid? cum ex Pannonia rediјt fugato Turcarum Rege? memini ego spectasse me illum albis indutum uestibus per Fori iulij fines, cum magno fortissimorum Ducum, & Principum comitatu, dimisso iam exercitu, iter facientem: uidisses tunc summum Imp. laudis studio ardentem magna iu spe esse ueteris dignitatis recuperandæ, & religionis propagandæ. Hæ fuerunt Cæsaris nostri uoluptates V. H. aliæ etiam longè maiores. Videre captiuos duces supplices humi prostratos ueniam petentes. Regem e iam in prœlio captũ in Hispaniam duci. uidere tàm multos Christianos, Tunetana urbe expugnata, è uinculis solũtos domum redeuntes, ut coniugem, liberos, & parentes reuiserent, quodq́; reliquum uitæ esset, in libertate apud suos degerent. uidere fratrem Cæsarem Ferdinandum tàm bonum, tàm fortem, quàmuis graui premeretur bello, magno semper, & erecto animo. uidere etiam filium suum Regem, tàm temperantem, tàm prudentem, tàm moderatum, tàm uigilantem. uidere demum ex nouo orbe ad se ad uenientes, qui dicerent illic omnia esse pacata, & tranquilla; iustitiam & religionem ab omnibus coli; urbes condi; leges, quas ipse uellet, & mandaret, sanciri. Vt alij ueteres Impp. multas ex hoc uoluptatum genere capere potuerint; hac tamen neq; Augustus, neq; alij, qui quam beatiss. & potentissimi fuerunt, frui unquam potuerunt. Militum cum esset, quorum fidem erat expertus, & uirtutem sæpè perspexerat in prœlio, studiosissimus; cladem, in qua tàm multi ad Carinianum cæsi sunt, ægrè quidem tulit, & propter cædem legionis illius, quam in præsidio collocarat Castri noui, quod est in litore Illyrico exædificatũ, unde Turcas eiecerat, ingemuit, ueteranis enim constabat Hispanis. sed martem cõmunem, incertosq́; belli euentus cum cogitaret, neq; culpa ducum, aut militũ id accidisse sciret, ferenda omnia moderatè dixit. neq; unquã Augustũ probauit, qui tàm impatienter Quintilij cladẽ tulit. Iam uerò laudũ ut nõ erat appetẽs, si cũ adulatione essent cõiunctæ, ita maledicta cõtẽnere solebat, cũ. n. omnia faceret cõmunis utilitatis, & uirtutis causa, suorumq́; omniũ commodorũ esset immemor, iudiciũ de se improborũ hominum negligebat; Nunquam in theatra, aut pyramides, aut in arcus memoriæ suæ testificandæ gratia sumptum fieri à ciuitatibus passus est, neq; urbes

Studiosus militũ Imp. Ca.

Laudis appetẽs quatenus fuerit Car.

G 2 conditas

conditas in orbe nouo à se appellari uoluit, hac una laude cõtentus, quòd legibus optimis earum ciues instituisset. Vitam illius priuatam si intuearis, nihil abiectum, nihil humile, nihil non principe optimo dignum. non ille unquam, quòd inertissimi hominis dicebat esse, alueolum popo scit, aut tesseras, totumq; hunc ludendi morem semper est detestatus. Voluptates ut non requirebat, ita laborem non fugiebat, uenando, currẽdo corpus firmauit suum; sæpe enim qui laborem perferre non potest, multa officia turpiter relinquere cogitur. Bis in die saturum fieri nullus unquam non modò ipsum; sed ne militem quidem ipsius unquam audiuit. Parsimonia delectabatur, & paucis, ac uilibus erat sæpè contentus. ad panem nasturtium olim Persas adhibuisse accepimus. suos ita assuefecit Cæsar Carolus, ut præter panem nihil aliud requirerent; ructantes, & uomentes sæpè exauctorauit, sudantes, & gementes sub armis uix tulit. solem enim, & puluerem, ac militandi laborem suis in studio semper esse cupiebat. Annibalem audistis fortem quidem, sed ferum, & immanem; cum in Italiam ueniret, uesci humanis carnibus suis militibus iussisse, ut assuescerent. captiuorum igitur peremptorum, & articulatim cæsorum cocta membra illis sæpe apposuit. O' truculentum hominem, ò horribilem disciplinam; suos radicibus, & herbis assuetos comedendis esse uoluit Carolus, in obsidione si ita ferret casus; Quòd si ne in deditionem quidem accipere eos hostes uellent; erumpere per mediã aciem, & desperata salute acriter pugnare docuit, cũ id ab Imp. Maximiliano auo adhuc puer accepisset. Intra Vincentinos enim mõtes meministis, opinor, uos præsertim, qui prouecta estis ætate, cum Cęsariani milites inclusi obsiderentur, ac fame perirent, neque hostium dux, ut erat ferox, ne nudis quidem, ut abirent permittere uellet: collecto robore, & obfirmatis animis cum impetum in hostes fecissent, eos fudisse, ac trucidasse; hæc disciplina Cæsaris Caroli, & auorum ipsius fuit. stans in castris armatus sæpe cũ suis ducibus prandere solitus est. & cum epulantem aliquando uideret quendam, at poteras, inquit, decem milites alere; sæpeq; dictitabat, qui uino esset completus, eum mente rectè uti non posse. Doloribus artuum cruciabatur maximis Carolus Imperator. quid tum postea? beatior fortasse fuisset, si ex pedibus non laborasset: fuisset omnino, sed tàm multas res gerere non potuisset. Hyeme sæpe cum hostes foco assiderent, & frigus pellerent, ipsos nihil opinantes, ne suspicantes quidem inuadebat; assuetus enim erat ipse algori ferendo. præuidebat quidem, si sub dio pernoctaret, si hyeme in Germania bellum gereret, multis malis corpus affectum iri; sed melius esse iudicauit aliquid honeste cum dolore, ac mole-

stia

Vita priuata Imp. Car.

Tolerantia militũ Imp. Caroli.

Podagra Imperator Carolus laborabat.

ſtia facere, quàm turpiter in ocio & umbra cum uoluptate conſeneſcere: quantum enim bene, ac laudabiliter uixit aliquis, tantum etiam diu, ac feliciter uixiſſe illum eſt credendum. claudicantem ex uulnere patrem ſic ſolabatur olim Alexander magnus; quoties mi pater, gradum facies, toties tibi tua in mentem ueniet uirtus. ſæpe cum arderet dolore, manus, & pedes amicis oſtendebat Carolus, moleſtiam illam eſſe dictitans, ſed non erumnam, ubi etiam fortiter aliquid eſt geſtum miſeria nulla eſſe poteſt. Maſſaniſſam regem ſenem iam, tanta erat firmitate corporis, detecto capite ſub dio uerſari ſolitum accepimus. At in Africa; Quid ſi in Germania militaſſet? C. Iulius Cæſar ſub pellibus ſe hyeme continebat, cum in Gallia, & Belgico bellum gereret. at diutius uixiſſet Imp. Carolus, uixiſſet quidem; ſed tàm multa non confeciſſet bella. tàm multa fortiter, & præclare, quæ poſteri laudare poſſent, non geſſiſſet, ne minimo quidem momento uita longior fuiſſet. imò breuior; uos intelligitis V. H. ſat ſcio, minimê enim uulgari modo loquor. Sed iam ſatis multa de ſummis Imp. Caroli uirtutibus dicta à nobis fuerunt; quare finem dicendi facio, ſi pauca tamen prius de eiusdem fortuna dixero; Sicuti enim nullum iuſtiorem, nullum fortiorem Cæſare Carolo hactenus demonſtratum eſt; ita nullum eo fortunatiorem fuiſſe breuiter, ac dilucidê demonſtrabo. Nec uerò tam omnia, & ordinatê, quàm pauca ê multis, ut ut in mentem uenient, recenſebo; infinitum enim eſt cuncta perſequi, & intelligo hoc tempore me hiſtoriam contexere non oportere; Vnicum habuit filium Imp. Carolus, qui in illius locum ſuccederet; Si enim plures, uerendum erat, ne cum alijs regna, & tetrarchias partiretur; quo nihil magis exitioſum eſſe ſæpe multi Reges experti ſunt. Duas filias, quibus duorum maximorum Regum animos deuinciret, ſuaq; cum illorum poſſesſionibus iura, & illorum cum ſuis coniungeret, ut ſi quid humanitus aut illis, aut ſibi accideret, non hæredem ſibi ſors dediſſe potius, quàm ipſe elegiſſe uideretur. Vnicum fratrem, & quidem optimum, ac fortiſſimum, qui, cùm ipſe materna regna acciperet, auita teneret, ac regeret tàm diuerſis in locis poſita procul ab eo ſeiunctus. Hoc etiam fortunæ Cæſaris Caroli attribuendum, quòd mortuo ipſius patri ſuperſtes fuit Maximilianus auus. Si enim ſiue auo fuiſſet, uix puer tumultus, & ſeditiones tàm multas ſedare potuiſſet, omnes enim ubiq; regiones finitimæ bello ardebant, & odia occulta quàmplurimorum poſtea in ipſum eruperunt. Si pater auo fuiſſet diu ſuperſtes, & imperaſſet; bella confeciſſet ille quidem, ſed Carolo laus omnis fuiſſet prærepta, quã adoleſcens ut appetebat, ſic pro ſua uirtute ſingulari facilê etiam adeptus fuit.

Fortuna Imperatori Car.

fuit. Huc accedit, quòd plures habuit fores, quæ summis Regibus in matrimonium ab auo cum fuissent collocatæ, animos sibi eorum deuincire hac una potuit ratione, Iam uerò & illud fortuna sibi uendicat; quòd filium eo tempore aptum ad omnes prouincias regendas habuit, & ad bella gerenda habilem, cum ipse morbo afflictus, & doloribus podagræ uexatus cogitare de tantis rebus uix poterat. Quid? quòd nepotem sum ma indole uidit in Hispania; & nepotem unum. Præterea filium nouo auctum regno præter omnium spem. Non ne & illud admirandum, quòd cum in Hispania Regem maximum haberet captiuum, uelletq; ad suos remittere placatum sibi, & amicum, non defuit ei soror, quam illi in matrimonium daret, ut iure affinitatis concordia firmior inter ipsos esset, aut saltem honestam haberet causam ipsum dimittendi; omnibusq. significaret, se pacis esse cupidissimum. Hoc etiam felicitatis V. H. Cæsaris fuit, quòd Angli per ipsum, & ipso spectante non procul, audiente saltem, cum Sancta R. Ec. in cuius ante fuerant tutela, imò in eam primi fermè omnium olim uenerant, redierint in gratiam. Maximum & illud fortunæ munus, quòd cum alijs in locis esset maximis rebus gerendis occupatus, alteram habuerit sororem Reginam, quam in Belgis summæ rerum omnium præficere posset, prudentem, fortem, constantem. Non præteribo illud, Imp. Carolus Hispanos habuit tàm sui amantes, tàm fideles, tàm paratos ad omnia. uiros fortes, frugi, nauos, & industrios, quibus si caruisset, nec adeo facilè hostes uincere; nec urbes expugnare, aut obsessas tueri, aut captas retinere potuisset. Hæc & alia multa sunt V. H. quæ fortuna Regi uestro largita est. Vide te igitur, cum & ipse tam multa fortiter gesserit, tam honestè semper uixerit, tam semper illi in omni re fortuna aspirarit, quàm iure beatus, imò omnium beatissimus dici debeat, quod ut uerum esse omnes intelligant, sitq; totius orationis meæ testimonium apud posteros maximum, addam hoc etiam, quod apud omnes tanti debet esse ponderis, ut nefas sit aliter sentire. PAVLVS. IIII. PONT. MAX. omnium, quotquot ante multos annos fuerunt, sanctissimus, & optimus, columen religionis, firmamentum maximum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deus in terris curam gregis sui demandauit; Romæ in basilica Diui Petri, postquàm Imp. Carolo mortuo iusta essent ipso præsente persoluta, uocem extare uoluit testem uirtutis Caroli V. Imp. Amisimus, inquit, optimum Imperatorem.

Epilogus totius orationis

O' præclarum tantæ uirtutis testimonium, ò diuinam laudem; quam nulla

nulla unquam delebit obliuio. Vos V.H. quando talem intelligitis Imp. Carolum fuisse, nihilq; damni fecistis, quia filium sui similem sibi successorem, uobis Regem reliquit; ne flete, sed luctu, quod decet, annuo apud omnes testatum relinquite quanti Regem uestrum summum Imp. faceretis; illiusq; laudes perpetua non solum memoria, sed etiam sermone, ac literis celebrate.

Dixi.

Errata ita corrige.

car.40.	tibi quod unum	lege	tibiq; quod unum
car.43.	Duciallatam		Duci illatam
car.45.	crebò		crebrò
car.46.	sumum		summum
car.48.	etiam uallum ferre.	dele	ferre.
	tùm diuersarum		tàm diuersarum
	dedicerant		didicerant

AD FRANCISCVM ROBORTELLVM
Lvcii Martii Spiriti Ode.

Cvm tot querelis tristia maximi,
Francisce, defles funera Cæsaris,
Et facta dicis parte Eoa, &
Oceano memoranda Rubro;
Tot capta duris oppida prælijs,
Tot fixa templis signa Potentium,
Et sordidas semper decoro
Puluere, & impauidas cohortes:
Illum beatum ter uoco, & amplius;
Nam quo superbum nunc foret Ilium
Sermone, ni Vates Camœna
Mæonius cecinisset alta?
Cæsar resurgit clarior ultima
Dum fata ploras, ad superos tuo
Tu solus Augustum tenebris
Eloquio reuocas potenti.

MARCI ANTONII
TRITONII VTINENSIS.


Si Macedo quondam tantæ præconia laudis
Legisset docta tàm bene scripta manu,
Pelidæ æternum non inuidisset Homerum,
Sed Robortellum CAROLE *Quinte tibi,*
Pierijs clarus nam si fuit ille camœnis,
Omnibus hic noster prænitet eloquio.

Eiusdem.

Cùm subito nimbus rapuisset ad astra Quirinum,
Mirata est toties turba togata patrum.
Sed modò miratur nemo, quòd ad astra beatus
Ingrederis faustum maxime Cæsar iter.
Tu quia post tantos terraq; mariq; labores
Non nisi syderibus CAROLE *dignus eras.*

Eiusdem.

Cùm plures sibi uincendos superesse putaret
Orbes, qui quondam uictor in orbe fuit,
Infelix primo nondum contentus honore
Sæpe palàm in castris ingemuit lacrymans.
Tu felix Cæsar geminos cùm uiceris orbes,
Nec restent plures, quos superare queas;
Sydereo tandem cinctus diademate crines
Tendis ad æterni Regna beata poli.



INDEX TOTIVS ORATIONIS.

IACOBI

FINIS.

